

ERYCI PUTEANI

PVRPVRA AVSTRIACA HIEROBASILICA,

SACRAM ET REGIAM
SERENISSIMI PRINCIPIS

FERDINANDI,

HISPANIARVM INFANTIS,
S. R. E. CARDINALIS,

IMAGINEM

COLORE PANEGYRICO REPRÆSENTANS.



ANTVERPIÆ,
TYPIS IOANNIS CNOBBARI,
∞. IↃC. XXXV.

Cum Regum Catholici & Christianissimi Privilegiis.



SERENISSIMO PRINCIPI

FERDINANDO

HISPANIARVM INFANTI,

S. R. E. CARDINALI,

ÆTATE FLORIDO, VIRTVTE MATVRO,

GLORIA ÆTERNO,

PER HOSTES EVNTI, VT VINCERET;

AD SVOS VENIENTI, VT TRIVMPHARET,

PVRPVRAM AVSTRIACAM,

ET IN PVRPVRA

SACRÆ REGIÆQ; SERENITATIS IMAGINEM

ERYCIVS PVTEANVS

STRENÆ LOCO OFFERT,

DEVM OPT. MAX. VENERANS,

VT A NOVO ANNO FELIX IMPERIVM,

A NOVO SOLE SOLATIA NOCTIS,

INCREMENTA LVCIS,

ORNAMENTA TEMPORIS EXSVRGANT.

PVRPVRÆ TYPVS,

Herculis & Tyri fabulâ

DESIGNATVS.

HERCVLES AD TYRVM, amatam ſibi Nympham accedens, Heroum more, viæ comitem canem habuit. Is per littus diſcurrens, irrepentem ſcopulo Purpuram vidit, apprehendit, ac demorsâ carunculâ, ſua ſibi labra cruore Puniceo infecit. TYRVS inſueto colore delectata, talem ab Hercule veſtem, in pignus & pretium amoris petiit. Morem ille gerens, & inter labores ſuaviſsimum hunc ratus, Concham quærit, ſuccum exprimit, lanam imbuit, & Regio munere puellam donans, amare ſe profeſſus eſt.

HERCVLEM VIDES? HIC PHILIPPVS EST:
TYRVM VIDES? HÆC BELGICA EST:
PVRPVRAM VIDES? SIC BELGICA REGITVR.

HOC CAPITVR *Virgo* PRETIO, *fit Purpura munus:*
Exuviæ placeant, munus amoris erunt.

HOC

HOC CAPITVR PRETIO.



VNVM QVAE POPVLVM.PACABIT PVRPVRA MVNDVM:
FATA TYRI REDEVNT, AVREVS ORBIS ERIT.

IN IMAGINEM

HERCVLIS ET TYRI

ODE,

Purpuræ ἐπιμύθιον explicans.

AMORE *flagrans* HERCVLES TYRI, *suo*
Accendit igne Purpuram,
Quam repperit, suaq; amorem Purpurâ.
Insigne Regibus datum.
Sed Nympha postquàm sanguinis miraculum
Vidit molossi florido
Latrantis ore (more quem prisco HERCVLES
Ducebat asseclam via,)
In penulam coloris ignem postulat.
HOC *lata* CAPITVR MVNERE*:*
Hoc vindicatum rursus Orbem Heros capit,
Et vindicati gloriam.
Quid maximus PHILIPPVS, *alter* HERCVLES?
Amore flagrans BELGICÆ,

Vni

Vni dat Orbis Purpuram Provincia,
Quæ fata versat omnium,
Alumna belli, pacis artibus potens,
Et gloriæ compendium.
In Regiis hæc vidit Oratoribus,
Quantum sagacitas queat,
Quantum ministrâ luce radians Purpura,
Et Purpurata auctoritas.
Vidit minorem bis Virago Purpuram;
Majore digna ter fuit,
ALBERTI, *& inde* FERDINANDI *Purpurâ,*
Quos inter ANDREAS *fuit.*
Agit PHILIPPVS, HERCVLES *quod egerat;*
Sed sæpius, sæpius amans.
Alter TYRVM *ornat, ornat alter* BELGICAM,
Votique compotem facit.
Fratrem PHILIPPVS *unicum mittit suum,*
Sacramque fratris Purpuram:
Præsens suam gubernat ipse BELGICAM,
Sed FERDINANDI *Purpurâ.*

VARIA

VARIA PVRPVRÆ SIGNIFICATIO.

PVRPVRA, *quæ & Pelagia, & Blatta dicitur, proprie concha est, siue piscis, testâ turbinatâ munitus, à quo murex, buccinum, conchylium differunt. Deinde, sanguis conchæ, sanies, flos, succus, ostrum, atque ipsa tinctura; per excellentiam, à loco Tyria, ab artificio Dibapha; cocco, siue quisquilio, atque fuco splendidior. Præterea, vestis, quæ Regum est; vel eorum exemplo in Trabeis Romæ, Prætextis, & Latoclauo adumbrata. Denique ipsa dignitas, olim Regia, nunc etiam Sacra, ad alios paullatim ordines, siue pacis, siue belli translata.*

CANTIC. CAP. VII.

Coma Capitis tui sicut PVRPVRA.

ERY-

ERYCI PVTEANI

PVRPVRA AVSTRIACA HIEROBASILICA,

SACRAM ET REGIAM

SERENISSIMI PRINCIPIS

FERDINANDI,

Hiſpaniarum Infantis, S.R.E.Cardinalis,

IMAGINEM colore Panegyrico REPRÆSENTANS.



OVAM adoro PVRPVRAM, pietate Sacram, poteſtate Regiam; quam ut maximo exprimam titulo, AVSTRIACAM appello. Sereniſsima hæc ſanguinis ac virtutis Inſignia ſunt, Eminentiſsima ordinis ac dignitatis: tua ſunt, FERDINANDE,

Princeps Optime, ad fulgorem Orbis Christiani nate, omnibus omnino hominibus conspicua, Belgis salutaria; quos ut lætos adires, ex ipso itinere victor Barbarorum ac triumphator recreâsti. Per sanguinem hostium, sed Deo ducente, profectus es, tanquàm non ferres Purpuram, sed faceres; gratior Belgarum populis, suo quodam genio Bellicosis, quia à bello veniebas, quia cum exercitu, quia armatus. Vt regi & gubernari lubeat, jam te scimus pugnare posse: ut verò felices simus, non satis erit regi. Hîc etiam hostes, & plus quàm hostes vincendi sunt:

bello opus, ut ad pacem & quietem veniamus; ut conditiones, quia humanitate obtineri non potuêre, armis extorqueantur. O noctem temporum, in quâ ſidera quæ putavimus, fuerunt tanquam ſcelera, & peſtilenti conjurationis aurâ radiârunt! ô calamitatem hominum urbiumque, omni graviorem bello; quia non ab hoſtibus, ſed ab Amicis Proceribuſque illatam! quos non animus, non juris ulla ratio, ſed ſola abſolvit fortuna; quia conſilia, quæ impia & extrema erant, ir r ta fecit. Hîc tamen oſtenderunt boni omnes affectum ſuum, non minori obſe-

quio, quàm periculo, cùm Vnus & ſummus eſſet; unus à Deo datus FRANCISCVS MONCADA, ſummus à Rege conſtitutus, qui rem labantem maximo imperio, majori animo ſuſtineret. Adhuc ſtamus Belgæ, plenamq; diei fiduciam nocti ac tempeſtati objicimus; plenam ſalutis, calamitati: adhuc Belgæ fide & conſtantiâ ſumus, quia novam à novo Sole lucem; novam à novo ſoſpitatore ſalutem excipimus: illam, quam promit; hanc, quam promittit.

Ovid. 11. Metamorph.

—— Nitido patefecit ab ortu
Purpureas Auroræ fores.

Tantum boni Purpura FERDI-

NANDI habet, quia FERDINANDI: Purpura, ſed Sacra, ſed Regia, ſed Auſtriaca. Permitte, Sereniſſime Princeps, ut quam tuam dico, publico & ſimpliciſsimo veritatis elogio celebrem; in tuâ autem te totum hominibus omnibus repræſentem. Videbis munus tuum uno colore, variâ imagine adumbratum; munus divinum, ut homines regas; munus Regium, ut te ſcias inter homines, imò inter Principes eminere. Virtutes in Purpurâ videbis, quæ tuæ ſunt, quæ familiæ; dignitate ſacras, gloriâ Regias, majeſtate æternas: Virtutes, quæ oſtendent ipſum

hoc munus tuum, & Regium, & Sacrum, imò Divinum esse.

Inter prima naturæ miracula, artisque portenta, Purpuræ nomen est, quasi numen in homine, cui à Deo præesse hominibus datum est, ut aliquid indueret Dei, reliquis & major & melior esset, ac splendore ornatior. Naturam in conchâ & animali, artem in lanâ & vellere contemplari licet; esse alteram, alteram in renovato toties mundo desiisse; esse concham, desiisse tincturam. Verumenimverò Purpurati esse Reges cœperunt, quando Sacerdotes erant Reges, nec alius humana, quàm qui divina administraret: sed postquàm Purpura lanæ subtraxit

traxit dignitatem, herbæ & flores dederunt Purpuram, & per naturam rerum ars circumivit, ut varia esset, & inconstantiâ quâdam placeret. Primus igitur splendor, nescio quo vitio, extinctus est; nomen miraculo superstes celebratur. Purpuram verò, quasi bis puram, imò bis ignem appello. πῦρ enim ignis, & ignis purus: quam & nos vocem, sed molliore litterâ habemus; Græcis, unde Latini acceperunt, πορφύρα est. Prorsus decuit Purpura Reges, quando boni erant, id est Reges, & adhuc decet: boni autem, & Reges erant, quando vitâ puri, veste Purpurei; quando vitâ & veste quicquid Sacerdotalis inclu-

includeret dignitas, ſimul uſurparent. Sed Purpuram etiam in conchylio, in murice, in buccino, quæ Neptuni deliciæ ſunt, nominamus; quamvis inferiore pretio. Similitudo coloris olim quoque communionem vocabuli ſuſtinuit, cùm unâ claudi teſtâ luxuria non poſſet, & Purpurei eſſe inciperent, qui Reges non erant; à bonitate autem morum longiùs abirent. Vt ſcias, quales eſſe debeant, qui Purpuram geſtant, vide quales erant, qui conficerent; mundi flagitiorum, puri ſcelerum, & uno verbo, boni: quaſi à malis, facinoroſis, impuris Purpura nollet contrectari; indueret vitium vellus, ſi vitium

Purpura-

Purpurarius adferret. Putares non tam manu, quàm mente hoc coloris artificium absolvi. Faciunt huc Purpurea Cassiodori verba, vel Theoderici potiùs Regis, tanquam ipsa Purpura loquatur: *In illis autem rubicundis fontibus, cùm albentes comas serici doctus moderator intinxerit, habere debet corporis purissimam castitatem: quia talium rerum secreta refugere dicuntur immunda.* An addo? Natura hîc pura est, non sinit artem impuram esse. Et addo: Purpura Regum est, citiùsque desinit Purpura esse, quàm ad Reges immunda veniat. Tam nimirum delicatè sanguis tractandus est, in quo occultam

Lib. 1. Var. epist. 11.

vim naturæ, adversùs fœda ſe vindicantis, admiramur. Sed ſi examini locum damus, amplius hîc eſt, purum, quàm Regem eſſe; innocentiâ, integritate, munditie, quàm fortunâ ac pompâ eminere. Separa puritatem à Purpurâ, ſplendor nullus erit; Virtutem à Rege, majeſtas extinguetur. Tu ſplendore tuo, majeſtate tuâ, FERDINANDE, oſtendis te verè Purpureum eſſe, & tanquam Regem exprimas. Qui te videt, PHILIPPVM videt; qui PHILIPPVM, te; in Regis fratre Regem, in Regiâ & Sacrâ Purpurâ FERDINANDVM. Conqueri nunc etiam mortales deſinant, Purpuram, ſed illam

primam & Herculis, illam veram ac Tyriam ab uſu & arte abiiſſe: novo in te beneficio, & redivivo ſplendore reperta eſt. Indoles tua Purpura eſt, facies Purpura, virtus Purpura: dignitatem tuam, familiam, ſerenitatem, & te totum non poſſum niſi Purpuram appellare. *Hercules quidem*, ut Iulii Pollucis verba adumbrem, *nymphæ cujuſdam indigenæ, cui nomen Tyrus, amore captus erat. Eo fortè per litus ambulante, canis qui ſequebatur, repentem ſcopulo Purpuram conſpicatus, mordicus arripuit, pereſâq; quæ prominebat, carunculâ, ſua ſibi labra cruore puniceo infecit. Venit ad puellam Hercules, venit canis. Illa inſolito tincturæ flore delectata,* Lib. 1. cap. IV.

delectata, vestem amulo tinctam splendore, amoris pretium postulavit, & obtinuit. Hercules enim concham quasivit, invenit, collectoq; sanguine, munus puellæ tulit, primus sic quidem tincturæ Puniceæ, ut volunt Tyrii, inventor. Nimirum præstantissimus esse debuit, qui Purpuram inveniret; Sapientissimus, qui daret Regibus majestatis indumentum, & quod aliquid non maris tantùm, sed cæli haberet. Sanè *roranti hoc igne*, sive διερῷ πυρὶ, ut, eandem hanc assignans fabulam, Nonnus ait,

Lib. XL. Dionys.

Φαιδρὸν ἁλιχλαίνων ἐφοιθαίνετο φᾶρος ἀνάκτων.

Purpureum dius Regum radiabat amictus.

Apud

Apud omnes igitur gentes ſummum fuit, Purpurâ reſplendere; à reliquis hominibus, non ſceptro tantùm ac diademate, ſed totâ veſte ſecerni. Pulchrè Caſſiodorus: *Color nimio lepôre vernans, obſcuritas rubens, nigredo ſanguinea Regnantem diſcernit, dum conſpicuum facit, & præſtat humano generi, ne de aſpectu Principis poſſit errari.* Lib. 1. Var. epiſt. 11. Apud Romanos quoque inter omina Imperii Purpura fuit: Spartianus. Ovum Purpureum in Geta, oves Purpureæ in Diadumeno. Procopium Valentinianus interemit, quia Purpuram domi habuerat: Valens Iuſtum, quia è femore enatam ſibi Purpuram ſomniârat. Poſtquàm verò Regum Pur-

pura esse cœpit, etiam ad templa, & Deos translata est. Sic & summi Magistratus, qui ministri Regum sunt; & Sacerdotes, qui Deorum, dignitatis testem, igneum hunc splendorem habuêre. Romanos rerum dominos, gentem non minùs Purpuratam, quàm togatam possis appellare. Hi nimirum inter reliquos homines, velut Reges erant; imò si licet dicere, velut Dii. Purpuratos fuisse, verba Liviana Valerii Tribuni plebis, graviter differentis, indicant: *Purpurâ viri utemur, prætextati in Magistratibus, in Sacerdotiis: liberi nostri prætextis Purpurâ togis utentur: Magistratibus in coloniis municipiisq;, hîc Romæ infimo genere*

Lib. XXXIV.

nere magistris vicorum toga prætextæ habendæ jus permittemus: nec id ut vivi solùm habeant tantum insigne, sed etiam ut cum eo crementur mortui: feminis duntaxat Purpuræ usu interdicemus? De Romanis agitur: atqui ego omnibus omnino mulieribus usum concedam Purpuræ, ut pudicitiâ pulchræ, formâ Veneres sint, quemadmodum Venerem ipsam Purpuream Poëtarum amœnitas appellat. Scient quomodò verecundæ sint, & quo imprimis colore pulchræ censeantur. Quæ pudore pictæ, aliâ cerussâ faciei non indigent; cùm formæ pretium ab animo magis, quàm à corpore derivetur. Sumant Purpuram, remo-

removeant purpurissum, spumam nimirum effervescentis, & in tincturam abeuntis Purpuræ: vestiant corpus, non pingant; Purpurâ malint, quàm fuco exornari. An dicam? Etiam virorum virtus verecundia est. Purpuram & hi induant, ut pulchri, imò puri sint; ut frontem modestiæ mancipent: quæ omnis ætatis prætexta est. Non possunt profectò, nisi aliquid à puero hîc sumant, viri esse; non possunt, nisi virtuti pudorem jungant, sexu & annis, sensu & animis præstare. Hanc ob caussam Romana voluit antiquitas pueros prætextatos esse; ut jam tum scirent, se viros fore; addiscerent

artes,

artes, quibus pueritiam, & magis puerilitatem exuerent; ad virtutes, viris dignas, properarent. Scire verò ſi libet, quâ ratione pueri viri fiant, Scholas Academiaſq; vide, & in iis quoque Purpuram regnare. Cathedræ Purpureæ ſunt, & doctrinæ varietate coruſcant. Quid color hîc poſſit, ille, inquam, Puniceus, ſceptra indicant, publicè præferri ſolita, tanquàm Regalem ſibi magnificentiam vindicent. Sic juventus regitur, quæ & ipſa Purpurea eſt: ſic artes, ſcientiæ, Litteræ addiſcuntur, quæ vel Rempublicam faciunt, vel formant ingenia, ut Reipublicæ ſufficiant. Sed pulcher-

rimo virtutum jubare ſe viros exhibent Equites Aurei Velleris, non homines, ſed heroës: quos cùm PHILIPPVS ille BONVS, anno ∞.CCCC.XXIX. conſcriberet, Purpuratos eſſe voluit: quid niſi ut pares Regibus faceret, non auro tantùm, ſed oſtro inſignitos virtuti & gloriæ conſecraret? Video in Vellere Iaſonem, in veſte Herculem, utrobique PHILIPPVM: video Ordinem tot trophæis nobilem, quot myſteriis inſtitutum; qui ut maximus eſſet, & Cæſares, Reges, Principes reciperet, à nepte Philippi MARIA ad Auſtriacos tranſlatus eſt. Sed illam de Origine Purpuræ (huc enim reducendus

cendus eſt ſermo) ſive fabulam, ſive hiſtoriam, aliter alii narrant: quos omnes in uno Cedreno exprimam. *Herculem Philoſophum, cognomento Tyrium, regnante Phœnice, notâſſe vim Purpuræ, & in uſum duxiſſe. Etenim circa Tyrum cùm Paſtoris canis ab eſu Purpuræ, labris ruberet, ac paſtor ex ore canis cruorem putaret defluere, acceptâ ab ove lanâ eum deterſit. Hercules forte-fortuna ſpectator erat, & micantem tincturæ vim admiratus, tam inſolentem liquorem notavit è conchâ defluxiſſe. Itaq; lanam doni loco ad Regem Phœnicem tulit. Is colorem æſtimans, veſte dignum putavit Regiâ, primuſq; Purpurâ reſplenduit, ac admirationi cunctis fuit.* Rurſus, & longo tempo-

Hiſtoriarum compendio.

ris, non pretii intervallo, primus RVDOLFVS ille Habsburgicus, ille Auſtriacus, fuit, & Phœnicem, imò Herculem ipſum expreſſit. Invenit Purpuram, quam familiæ ſuæ dedit; geſtavit, quam meruit: Purpuram, non vellere, ſed virtute nobilem; non animantium ſanguine, ſed hoſtium. Dedit, inquam, Auſtriacis RVDOLFVS Purpuram; quia Inſignia, quæ Purpuram, & ſimul imaginem diadematis habent. Colorem dedit Purpureum, argento diſtinctum: hæc illa Inſignia ſunt. Dedit pacis & belli ſymbolum, qui ſuo exemplo bella pacis cauſſâ gerenda eſſe docuit, & vincere dignus fuit.

Sic

Sic potiſſimùm adversùs Othogarum Bohemiæ Regem pugnavit, rurſuſque Imperium ſibi; Imperio Auſtriam, Stiriam, Carinthiam aſſeruit. Acre & cruentum prœlium hoc fuit, & hoſtili ſanguine illuſtre, non militum tantùm, ſed ipſius Regis. Occubuit enim Othogarus, ille armis & provinciis potens, infelix ideo, quia obnoxius eſſe feminæ voluit, cùm viris imperaret; bellum, quàm pacem amplecti. Cùm igitur Originis Auſtriacæ Scriptores, in hoc conflictu ALBERTVM filium patris RVDOLFI vexillo candido, ſed inter pugnandum hinc inde cruentato, viriliter præfuiſſe tradant; facilè
 ſtatuo,

ſtatuo, Inſignia familiæ hinc ſumpta eſſe; Vmbonem, inquam, coccineum, ſive Purpureum, zonâ in medio candidâ, ſive argenteâ, ut loquuntur, diviſum. Si colorem reſpicis, Purpuram habes; ſi metallum, diadema: gemino velut ſymbolo exſurgens familiæ majeſtas notata eſt. Quid igitur? alii veſtiuntur Reges Purpurâ, Auſtriaci armantur quoque: alii fulgent Purpurâ, pugnant Auſtriaci: alii Purpurâ pulchri ſunt, Auſtriaci æterni. Quem Auctorem & conditorem familiæ ſuæ, etiam Purpuræ habent: habent Rudolfum, tanquam Herculem; Habsburgicum, tanquam Tyrium, omnes unius

unius beneficio Purpurati. Ergò remoto Leone aureo, è fundo cæruleo ſe erigente, fortiorem ſe putavit, novus Hercules, novus Tyrius Purpurâ, quam virtus & ſanguis fecerant: ſic ipſe Leo erat. Potuit etiam ſine Purpurâ Auguſtus eſſe, cui ad ornatum ſatis erat, armatum eſſe; animo, non corpore reſplendere, ipsâ in pompam vilitate veſtis oſtentatâ. Quoties ab hoſte & prœlio rediret, Purpuratus erat; quoties confligeret, Hercules; quoties alios ſuperaret, ſui victor. Breviter, Purpuræ inventor, quæ non Tyria, ſed Auſtriaca diceretur, unam ab omnibus familiam diſtingueret,

tantò

tantò majorem reliquis, quantò pietas pompâ, æternitas antiquitate melior eſt. Quia ſuâ RVDOLFVS virtute reſplenduit, etiam in poſteris fulgentiſſimus fuit; in RVDOLFO poſteri: ita ab uno mutuati magnitudinis decora; ut inde Auſtriaci eſſent, hinc & à ſe oſtenderent ſe eſſe. Poſt RVDOLFVM hanc induit gloriam ALBERTVS ejus filius, Victor Adolphi Naſſavii, bis à Septumviris electus Imperator, & bis donatus Purpurâ, ſupremum majeſtatis gradum jure maluit, quàm armis obtinere. Qui cùm ſummus eſſet, fieri voluit, tanquàm non eſſet; imò rogandus erat, ut fieret. Imperii deinde vindex,

vindex, cùm hoſtes omnes debellaſſet, à ſuis per ſummum ſcelus interfectus eſt. Filius Alberti FREDERICVS, Pulcher cognomento, & Imperator fuit, & in Imperatorem ſimul electum pugnavit, Auſtriacus in Bavarum; ſæpiùs victor, ut ſemel infelix eſſet; ſemel victus, ſed nunquam non fortis, à fortunâ ad ſe venit, pace quàm Purpurâ felicior, cùm Imperium nonniſi bellum eſſet, & gloriâ magis quàm appellatione Cæſaris, ſibi redditus, frueretur. Tantò poſteà major ALBERTVS II. qui Frederici fratrem Albertum, proavum habuit, Alberti ipſe filius, Alberti nepos, Sigiſmundi gener, novum

familiæ jubar, omnibus perfecti Principis ornamentis clarus fuit; longiori tantùm vitâ dignus, qui uno biennio rerum gestarum magnitudine non unum sæculum implevit; qui cùm ad compendium fortunam duceret, menses tanquam annos computavit. Plura sibi sceptra ac diademata, plures provincias Purpurasque subjecit. Quasi nihil restaret quod vinceret, vivere desiit. In Patris locum FREDERICVS electus est, ille Iustitiæ ac Sapientiæ deditus, bonus omnino, patiens, sincerus, & prisco Germaniæ genio. Purpuram candidam esse posse, & nivi similem, quemadmodum

Brachia Purpurea candidiora nive, Albinovano dicta ſunt, moribus ab omni fuco, verbis ab omni fallaciâ alienis commonſtravit. Vt feliciùs imperaret, filium MAXIMILIANVM in conſortium Imperii, Romanorum Regis titulo, & ſeptumvirali electione adſciſcit. Putares eâdem virtute, eâdemque Purpurâ & patrem Imperatorem eſſe, & filium Cæſarem: conditionem utriuſque ſenio & flore, affectu & pietate, ſceptro ac gladio diſtingui. Tam inter ſe concordes, univerſam Germaniam pace complexi ſunt, digni ab omnibus habiti, qui Purpuram ſibi, & familiæ ſuæ novâ quâdam luminis prærogativâ

tivâ vindicarent. Hic ille MAXIMILIANVS fuit, qui cùm copioſum omnibus amoris eſſet argumentum, feliciſſimo cum MARIA, Caroli Audacis filiâ inito conjugio, Belgarum populos potentiæ ſuæ adjecit. Quot provinciæ, tot jam Purpuræ erant, Auſtriacis divinitùs deſtinatæ, ut ad plenum mox fortunæ jubar familia duceretur. Nuptiæ deinde Hiſpanicæ ad Orbis quaſi ſceptra PHILIPPVM, animo, ut nómine Pulchrum, Maximiliani filium, evexêre, novâ Purpurâ Regem, ſed non diuturnum. Vnde Adoleſcens adhuc CAROLVS, Philippi filius, plenâ virtutum indole promittens, quicquid

quid Antiquitas magni aut heroïci habuit, Patri in Regna, Avo deinde in Imperium, Quincti nomine, ſucceſſit. Quid tandem? Plenus gloriâ Purpuram exuit: Filium PHILIPPVM eſſe Regem, fratrem FERDINANDVM eſſe Imperatorem voluit; alterum in Hiſpaniâ, alterum in Germaniâ, diviſâ velut ſede, conjunctâ potentiâ, ſummum eſſe; unâ Purpurâ, geminâ luce; uno cognomine, gemino honore radiare. Itaque Caroli poſteritas Orbi terrarum; Ferdinandi, Imperio Orbis par erat: unum utraque habitura hoſtem, qui eſt omnium; unum, qui non unâ jam ſuperbus Chriſtianorum Pur-

purâ, Iuſtitiæ ac Majeſtatis ornamenta, velut inſtrumenta ſuperbiæ ac tyrannidis uſurpat. Sed Ferdinandus MAXIMILIANVM dedit, amantiſſimum virtutis & doctrinæ Principem: Maximilianus, RVDOLFVM, & MATTHIAM: quorum alter in otio gerere res magnas potuit, omnis elegantiæ æſtimator; alter fratris nomine & auſpicio pugnans, non priùs accepit Imperii Purpuram, quàm meruit. Poterat & idem illud faſtigium, Matthiâ extincto, ALBERTVS noſter, ille pietate inclytus, conſcendere, à Septumviris invitatus; niſi ſuam ornare Purpuram, illamque Belgicam, quàm novam aſſumere maluiſ-

ſet: ſatis magnus, quia Auſtriacus erat, quia Albertus erat, quia Belgas regebat: jam Imperator, quia animo vicerat, quicquid velut Magnum æſtimabatur. Itaque conſenſu pluſquàm heroïco conjugis, recuſavit Cæſar eſſe; & ne eſſet, venientem ad ſe, & variâ ornatam Purpurâ fortunam rejecit. FERDINANDVM Caroli Archiducis filium, Ferdinandi Imperatoris nepotem, Patruelem ſuum, tanquàm fratrem cenſuit, dignum provinciis omnibus, quas dare pulchrius erat, quàm adire; quas amittere non videbatur, quia dabat; quia Auſtriaco, quia Auſtriacus. Heres Rudolfi, heres Matthiæ erat,
jure

jure erat; ditavit hoc jure novum Imperatorem, & fecit. In Germaniâ quidem hæc jam ab uno in multis Purpura eſt, & in omnibus quaſi una; Cæſarea eſt; Auſtriaca tamen. Imò hæc Auguſtorum hactenus Auſtriacorum corona eſt, duodecim perfecta radiis, quaſi totidem ſignorum cæleſtium æmulatione compoſita, quæ totum Solis iter, pleno lucis ambitu reciperet, ac diſpenſaret. An animoſiùs dicam? Corona hæc, gloriæ Auſtriacæ velut annus eſt, Purpuræ circulus, æternitatis ordo. Etenim quia duodecim jam fuêre Cæſares, plures erunt, ſæpiuſque duodecim: erunt, quamdiu

Purpura erit; hæc autem nunquam non erit. Novus ſemper naſcetur annus, novus circulus, novus ordo, & novam coronam facient: dabit corona hominibus, quicquid à cælo expectant; aurea accipient homines ſæcula, & Auſtriaca nominabunt. In Hiſpaniâ alio titulo, eodem ſplendore æterna eſt, Regia eſt; Auſtriaca tamen. Quatuor jam & quaſi ordine PHILIPPOS video, Regem quaſi unum, mundi non unius Monarcham. Video Fratrem tuum, Patrem, Avum, &, proavo interpoſito Carolo, Abavum: video, inquam, FERDINANDE, teipſum. Illam virtutis Heroïcæ indolem video, illum glo-

riæ Auſtriacæ genium, illud naturæ divinioris decus, delicium, ſimulacrum. Aut fallor, aut in his quoque omnibus RVDOLFVS jam Habsburgicus eſt, novi tum ac divini nominis, decoris, magnitudinis auctor; quæ ſic accepit quiſque, ut auſpicari tamen videretur, propagator ſimul & auctor. Tot RVDOLFI, quot Cæſares in Germaniâ, quot Reges in Hiſpaniâ Auſtriaci ſunt; veri πορφυρογέννητοι, quia in Purpurâ, id eſt virtute, naſcuntur: digni Purpurâ, ſed illâ primâ, illâ puriſſimâ, quam invenire, ut dixi, Hercules potuit, ut omnes exornaret Reges, & par Regibus eſſet. Sanè quemadmodum potentia

Regis

Regis unius, cum aliorum comparata ſceptris viribuſque, maxima eſt: ita & unius maximè Purpura, emicante flore, Purpura eſt, &, ut cum Pindaro dicam, *αἰθόμενον πῦρ, ardens ignis.* Te non Olymp. Ode 1. poſſum, Sereniſſime Princeps, à fortunâ PHILIPPI, ſed nec à Purpurâ ſeparare. Quæ Regia eſt, tua eſt; quæ PHILIPPI, tua; quæ Auſtriaca, tua: te in Rege, te in Philippo, te in Purpurâ veneramur; in te Purpuram, in te Regem, in te Philippum: qui ut ſuum te profiteretur fratrem eſſe, ſummo à te regi imperio celeberrimos fortiſſimoſque Belgarum populos voluit, belli paciſque arbitrium à prudentiâ tuâ

pendêre. In totâ nescio an Monarchiæ mole nobilior administratio sit, laboriosior cura, periculosior alea: tanquam in paucis provinciis, quicquid ubique terrarum & marium est; in paucis populis cunctæ gentes conglobatæ gubernentur. Vnum hoc bellum, bella omnia Europæ continet: hîc Reges alii, Principes, Respublicæ pugnant: hîc unum timent, cujus non minùs virtutes quàm vires, fatum quàm nomen, genus quàm aurum formidolosum est: denique hîc in se divisa una natio, Orbem universum longo tumultu dissecuit, in partes atque factiones traxit. Pro Rege, & in Regem bellum

est,

eſt, pro Deo & in Deum. Moderatum & vetus alii dedignantur imperium, quod unius eſt; contrà alii à pluribus regi, miſerrimam ſub libertatis larvâ ſervitutem eſſe vel ſciunt, vel experti ſunt. Alii, ut nullâ utantur Religione, quamcumque liberam volunt; contrà alii unius tenaces ſunt, ne à ſanctiſſimis Majorum moribus ac inſtitutis deſciſcant. Nôrunt hi, qui obſequio tui ſunt, pro te, FERDINANDE, pugnaturi, Regis cauſſam Dei eſſe, & Dei Regis: tuam jam eſſe, qui Regis & Dei hîc perſonam auctoritate ſuſtines, Purpurâ repræſentas. Quâ Purpurâ? Regiâ & Auſtriacâ, quam hactenus de-

ſcribo : imò quâ Purpurâ? Sacrâ, & peculiariter tuâ, quæ ſic etiam Auſtriaca facta eſt. Non omnes quidem qui ſanguine ac ſtirpe Auſtriaci, ſceptro ac diademate Reges ſunt. Auſtriaci ſunt, & hoc ſatis, ut inter alios præſtent atq; excellant, ſuo quodam genio exemplum præſcribant omnibus. Alibi faciliùs Reges invenias, quàm Purpuram; alibi Purpuram, quàm majeſtatem. Vbi virtus quærenda eſt, ſuperfluum eſt, quicquid aut fortuna ſuppeditat, aut faſtus uſurpat. Conſtantinopolitanæ, ſed acceptæ Româ, deliciæ erant, in Purpurâ naſci, unde & Porphyrogenitis nomen; domum Impera-

Imperatricibus aſſignatam habere parientibus, quæ πορφύρα, ſive *Purpura* dicebatur. Luitprandus diſertè *Porphyram domum fuiſſe Conſtantinopoli à Conſtantino Magno exſtructam, in quâ voluit ſucceſſuram nobilitatis ſuæ ſobolem in lucem prodire, ut qui ex ſuo ſtemmate nati eſſent, luculentâ hâc appellatione Porphyrogeniti dicerentur.* Lib. I. cap. II.
Hoc omnino erat eodem vitæ auſpicio & hominem & Principem eſſe. Sanè Paulus Diaconus Conſtantinum Irenes filium in domo Purpureâ & natum & necatum ſcribit. Sed in domo Purpureâ cunas quoque fuiſſe Purpureas nil mirum eſt; non aliter ali ac nutriri debebat futurus Lib. XXII.

rus

rus Imperator, quàm natus erat: ipsum sic quoque vagitum possis ac ploratum Purpureum appellare. Ad te, FERDINANDE, venio, tuos natales, tua cunabula, tuam infantiam ad memoriam ac venerationem revoco. Non in Purpurâ tantùm, sed in auro nasci debuisti; quem Mater MARGARITA, Reginarum pretium ac decus, peperit. In Purpurâ, in auro; quia PHILIPPI eras filius, anno ∞ IↃC. IX. Postridie Eidus Maii, die Saturni, horâ II. amœnissimo anni tempore, mense floribus destinato, adulto jam die. Natus in Prætorio Laurentiano, quod non possum nisi novum Orbis miraculum, & Austriacæ magnificentiæ

nificentiæ æternum monumentum appellare. Sed multorum eſt, in Purpurâ naſci; tuum in majeſtate ac virtute, quæ Auſtriacorum Purpura eſt. Pulchrè adoleſcit, qui ſic naſcitur; qui animo citiùs, quàm ornatu ſplendet, qui virum in puerili Purpurâ ac prætextâ agit. Tua illa puerilis erat, ſed tamen Regia: Sacram aſſumpſiſti, ut tanquàm Rex eſſes, uno fratre, quia Maximo, minor; multis æqualis, quorum fortunæ fulgentiſſimam ab ipſo Eccleſiæ cardine dignitatem opponeres; Deum hominibus, cælum terris. Hâc quidem gloriâ, & inuſitato ritu Pontificatum ſuum, & ipſam inprimis Eccleſiam Romanam ornare PAVLVS V. potuit, an-

no ∞.IↃC.XIX. Litterâ quoq; FERDINANDI, tanquàm Purpurâ insignito, IV. Kal. August. cùm natus esses annos X. menses III. dies XIII. Sed tamen citiùs ille vitam exuit, quàm Purpuram tu indueres. Induisti enim sexto demum mense inde impleto, & tanquàm denuò nascereris, postridie Kal. Febr. qui Solis, & sic Purpureus fuit, Purificationi Virginis Puerperæ sacer; sed Pontifici, vel supremus, vel supremo proximus, anni ∞.IↃC.XX. Nimirum ut è cælo beneficium ille suum spectaret, & solennibus tuis interesset, ad immortalitatem transierat. Novam sic quidem gestare cœpisti Purpuram, qui Purpureus totus eras, priscâ formulâ, τὸ τῆς πορφύρας ἔργον, *Pur-*

puræ

pura ramus. Totam expreſſeras familiæ majeſtatem,ſed Gratiis amabilem,& quibus benevolentiam omnium provocares. Prorſus, quemadmodum in vino γλυκυπικρία commendari ſolet,quæ nec flaccidam eſſe dulcedinem ſinit, & auſteram caſtigat acrimoniam : ita in moribus tuis, in vitâ , in vultu ſuavitas diluit, quicquid ſeverum eſt ; ſeveritas autem langueſcere ſuavitatem non ſinit. Tantum naturæ tuæ, Optime FERDINANDE, aſſcribendum puto, quæ & ipſa Purpura eſt ; tantum educationi,quæ & ipſa Purpura ; tantum vitæ, quæ & ipſa Purpura. Mores tui nil niſi elegantiæ ſunt ; quia cæleſti
 quâdam

quâdam normâ compositi: ingenium nonnisi delicium, quia cultum eruditionis admisit: animus nonnisi thesaurus, in quo pietas, pudor, & generosa honestas constipantur. Tuæ sic igitur bonæ artes ac studia sunt, sed quantum in Principe laudari possunt: quæ cùm modum excedunt, ex Principe privatum faciunt. Modus verò ille est, ut ubi didiceris quantum satis: quantum didiceris, ames magis, quàm tractes; scias, quàm excolas; usurpes, quàm ostentes: major futurus, si inter doctos potiùs Principem agas, quàm si inter Principes doctum. Tuum est agere, aliorum scribere quæ

agas; Tuum favere viris doctis, ut doctiſſimus ipſe videaris; illorum ingenia, ſtudia, labores, liberali ad gloriam affectu ſtimulare. Scio te in Purpurâ hâc ſacrâ Antiſtitem eſſe; quæ doctrinæ & pietatis potiſſimùm radiis ornatur: ſed & in tuâ te ſcio Principem eſſe, in tuâ doctum piumque eſſe; rebus tamen magis, quàm libris; armis, quàm Muſis; imperio, quàm otio deſtinatum. Litteræ otia ſunt; ſed non te ſinit publica belli tempeſtas otioſum eſſe. Imò litteræ tuæ ſunt, ut amœnitate ſtudiorum non occupes ingenium, ſed oblectes: hinc etiam opportuna rebus dubiis conſilia, labo-
 rantibus

rantibus remedia, labantibus ful-
cra petas. Prorsus ut Regiam
tuearis Purpuram, Sacrâ opus
est: doctam piamque esse, quæ
Regia est sacra docet, sive belli,
sive pacis tempore. Ad bellum
etiam doctrinæ ac pietatis arma
faciunt: pacis artes nonnisi Lit-
teræ sunt, quæ doctrinam & pie-
tatem continent. Tanti est igi-
tur non Principem tantùm, sed
Purpuratum & Cardinalem es-
se: quod nomen non minùs
Romanum, quàm summum est,
terrâ majus, quia à cælo deriva-
tum. Enimverò cælum esse non
potuit, nisi volveretur; nec volvi,
nisi cardines suos haberet; unde
plagæ mundi, & venti cardinales
dicti

dicti ſunt. *Quatuor generaliter à totidem mundi cardinibus flare* etiam Quinctilianus ſcripſit, *cùm interim plurimi medii eorum, varietate regionum ac fluminum propriè deprehendantur.* Quotquot ſunt, Rectores aëris ſunt, maris terræq; arbitri, anni præſides, temporis ſequeſtri, & velut œconomi. Munus hoc quidem Cardinalis antiquum eſt, nomen recentius: imò nomen antiquum, ſed alio munere; quod erat, inter Sacerdotes ubique eminere. A loco ad perſonam (ut Bellarmino placet) appellatio venit. Principio enim Sacræ quædam ædes, in quibus primariæ vigebant Religionis functiones, & præcipuè

Lib. XII. Inſt. cap. x.

Baptiſmi

Baptiſmi myſteria, Cardinales dictæ ſunt: hinc & Myſtæ horum ſolennium, quia primarii, Cardinales. Eſſe alibi, aut potiùs dici deſiêre; poſtquàm Romæ dignitas aucta eſt, ac præcipuè anno ∞.LIX. quo Pontificis creandi poteſtas adjuncta. Huc Petri

Lib. I. epiſt. XX.

quoque Damiani, egregii Scriptoris, verba faciunt; qui & vixit eo tempore, & Cardinalis Oſtienſis fuit: *Romani Cardinales Romanum Pontificem principaliter eligunt, & quibuſdam aliis prærogativis, non modò quorumlibet Epiſcoporum, ſed etiam Patriarcharum, atque Primatum jura tranſcendunt. Salvo quippe Univerſalis Eccleſiæ Sacramento, iſti ſunt oculi unius lapidis, ipſi lucernæ*

unius

unius candelabri. Iam tanquàm ubique essent, in unâ urbe, & sub uno Pontifice: quid? ubicunque sunt, tanquàm in Vrbe, Orbis Principes sunt; sub uno Principe, Ecclesiæ, ut sic dicam, Senatores, ac Patres. Ne Sacro ornamenta ordini deessent, Innocentius IV. Pontifex, anno ∞.CC.XLIV. publico decreto sanxit, *Vt equo in publicum vecti, rubro galero uterentur.* Majestas hæc fuit, sed non absque mysterio; ut parati semper essent, in discrimen se pro religione offerre, sanguinem fundere, martyrio rubere. Paulus deinde II, post annum jam ∞.CCCC.LXIV. vestem coccineam, cucullo insignem, adjecit; ut pe-

nitùs jam Purpurati essent, ac Reges viderentur; non nati quidem, sed facti, & tanquàm nati essent. Redeat Cyneas, Regis Pyrrhi Legatus, & Romanorum denuò agnoscet Majestatem; *Vrbem*, respondebit, *templum sibi videri; Senatum, Regium consessum esse.* Sanè quot Cardinales, tot Reipublicæ Christianæ Senatores sunt, sub Pontifice, sed velut Augusto. Cardinales sunt, & hoc satis; quos ut vero tandem, ac proprio ornaret titulo VRBANVS VIII. omnium sæculorum virtutes, artes, elegantias ad suum revocans, sanctissimo Decreto EMINENTISSIMOS appellavit. Etenim ut Eminentissimi cæli cardines

Florus lib. I. cap. XVIII.

dines ſunt: ita in terrâ ſublimiores eſſe Cardinales non poterant, quàm ſi ad cælum eveherentur. Id VRBANVS auſus eſt, & adhuc audet:

Terrarum dominos evehit ad Deos. Horatius.

Hæc igitur Purpura Sacra eſt, Romana eſt, Cæleſtis eſt, & Regiæ paſſim per Europam mixta, geminum alibi jubar explicat: tardiùs, imò ſerò ab Auſtriacis admiſſa, qui pietatem hîc, quàm pompam æſtimare màluerunt. Sed poſtquàm novi Gregorii, Clementes, Pauli, Vrbani, ſe oſtenderunt pares Purpurâ ſuâ Regibus eſſe, tantum hoc, aut ſuperiori ſæculo addere ſplendoris Eccleſiæ viſi ſunt, quantum

alii anteà à Regibus acceperant. Primus igitur in Sacrum hunc ordinem à Gregorio XIII. adſcriptus eſt, ANDREAS AVSTRIACVS, Ferdinandi Archiducis Auſtriæ filius, Ferdinandi Imperatoris nepos, anno ∞.IↃ.LXXXI. qui Protector Imperii, & Germaniæ totius Legatus fuit: Vir & Germanus indole, nihil niſi virtutis cauſſâ faciens; & magis Auſtriacus, tanquàm non ſibi, ſed familiæ magnus eſſet. Sequitur ALBERTVS ille noſter, Maximiliani Imperatoris filius, Ferdinandi Imperatoris nepos; inter magnos Optimus, inter bonos Maximus, inter utroſque animoſiſſimus. Excoluerat pietate animum,

mum, doctrinâ ingenium; ut oſtenderet Auſtriaci eſſe, priùs mereri Purpuram, quàm ſumere. Tertium te eodem jam ſplendore, FERDINANDE, habemus, ſed tuo, non agnato tibi, ſed accepto; ut non omnia jam PHILIPPO Regi, quia Patri, aliquid etiam PAVLO Pontifici, & nunc VRBANO tanquàm Patri debeas. Non enim in familiâ tantùm, ſed in Eccleſiâ, quæ maxima eſt familia, & poſt Andream, & Albertum emines, par utrique, niſi quòd poſt utrumque, aliquid concedens tempori, nihil magnitudini; cùm eandem virtutis indolem, animum fortè majorem adferas. Non tu quæſiſti Purpuram, ſed te

te Purpura. Te illa tuis ostendere voluit, quantus esses; omnibus, quantus mox futurus sis. Ergò te suspiciunt omnes, te admirantur tui, Austriaci, & tanquàm Austriaci; qui nomen à magnitudine divisum habent, matre Austriacâ, non patre procreati. Sed hujus familiæ hæc propriè dignitas, & propè divinitas est; ut, quemadmodùm nasci olim heroës solent, tantum splendoris ad nuptias & generationem adferant feminæ, quantum alibi viri. Viragines nimirum Austriacæ sunt, imò, si hoc minùs, Heroïnæ sunt, & Heroës pariter, sive Semones gignunt; Austriacos, non quidem nomine,
sed

ſed indole ac naturâ. Ex Heroïnâ igitur CATHARINA Auſtriacâ, CAROLO EMANVELI Sabaudiæ Duci in matrimonium collocatâ, ISABELLÆ noſtræ CLARÆ EVGENIÆ Sorore, PHILIPPI II. Regis Filiâ, CAROLI V. Imperatoris nepte, natus eſt MAVRITIVS EMANVEL, Sabaudiæ Cardinalis; quem magnificentia, generoſitas, omneſq; heroïci animi dotes Auſtriacum faciunt, & Purpurâ ſuâ dignum. Deinde è CONSTANTIA Auſtriacâ, SIGISMVNDO Poloniæ Regi nuptâ, Ferdinandi II. Imperatoris Sorore, Caroli Archiducis Auſtriæ filiâ, Ferdinandi Imperatoris nepte, IOANNEM ALBERTVM, Polonia Cardinalem accepit,
cui

cui aliquid patris mater quoque facit. Hic, cùm VLADISLAVS frater ejus Rex fieret, Purpuram ſimul induit, non Regiam, ſed Sacram: non enim ut regeret cum fratre, ſed ut ſplenderet; non diademate, ſed galero. Nullis hîc etiam Regni ſuffragiis opus erat; à Pontifice eligendus: non aliâ etiam moleſtiâ aut curâ, quàm ſi vellet eligi; ut ſic quoque Auſtriacus videretur. A Carolo igitur Imperatore deſcendit MAVRITIVS, & matrem Auſtriacam habuit, ſed Hiſpanam; à Ferdinando, Caroli fratre, VLADISLAVS, & matrem pariter Auſtriacam, ſed Germanam. Familiam putes in duos velut

ramos diviſam eſſe, quorum alter Regius, alter Cæſareus; ille in Hiſpaniâ, hic in Germaniâ felici propagine creſceret, & æternitatem ſibi polliceretur. Tanquàm magnitudinem ſtirpis natura agnoſceret, tribuit & feminis, quod Auſtriacum eſſet, & ad virorum gloriam accederet: accepit affinitas, quod alibi dare ſanguis ſolet; conjugium, quod nomen. Sed ubi mulieres, tanquàm viri ſunt; viri quâ ſorte ac conditione erunt? Si Matrem habere Auſtriacam, homine majus eſt, quid Patrem? Tibi hoc, FERDINANDE, divinitus contigit: Patre naſci Auſtriaco, ſed Optimo, Matre Auſtriacâ, ſed
 Optimâ;

Optimâ; ut Optimus ipſe eſſes; corpore & animo, verbis & moribus totum Auſtriacæ bonitatis genium repræſentares. Iam ceperas Purpuram, priuſquàm acciperes; imò acceperas, priuſquàm caperes: vultu, non veſte Puniceus, ut pulcher eſſes; verecundus, ut floridus; modeſtus, ut formoſus: tuam jam indole Purpuram feceras, quaſi veſte non indigeres. Ergò cum fratribus educatus, natu minimus, ſed vigore æqualis, ad omnes omnino virtutes erexiſti indolem, promptus, facilis, excitatus, & quaſi ætatem præverteres. Sequebaris fratres, & exemplo in æmulationem ſumpto, non de

loco aut ordine, sed solo affectu contendebas. Ad Regnum PHILIPPVS natus erat, tanquàm Deus quidam in terrâ homines recturus: ad bellum CAROLVS, qui hoc nomen sibi à proavo Martiali vigore vindicabat: sed tu in Sacrâ Purpurâ tuâ, & Regnum, sed pietatis caussâ, & bellum, sed pacis caussâ, invenire potuisti; tanquàm & Philippum, & Carolum exprimeres; non fortunâ, sed Purpurâ, ut sic dicam, Rex esses; non manu, corpore, robore; sed consilio, ductu, auspicioque pugnares; Quid? fortis & felix esses; in potestate tuâ exercitus, populos, provincias haberes. Quid etiam? mitrâ, pedo, Pur-

purâ florem ætatis ornares; Toletanis Summi Antiſtitis titulo ac dignitate præeſſes : quæ & ipſa quædam Purpura eſt , imò Sacra eſt, & ad Religionis majeſtatem facit. Sed jam te una Heſperia non capiebat : miſſus à Rege in Italiam, regere Inſubres cœperas, ex miſeris felices, ex afflictis lætos, è mortuis quodammodò vivos reddere. Vt bella, & bellorum mala arceres , nova tibi fœdera cordi fuêre : & per hoſtes profecturus, novos Regi Amicos concilias, nova imperii ſubſidia ac fulcra. Iam oſtendebas , quâ prudentiâ & conſiliorum maturitate pacis negotia tractanda eſſent , priuſquàm ad

arma

arma & prœlia ires, adductis ad amicitiæ vincula præcipuis Helvetiorum Pagis ac Populis: quod non minùs ad ſecuritatem magnitudinis facit, quàm ſubjectos habere. Gens illa ſuis vivens legibus, una corpore, diviſa membris ac religione, non exiguum belli paciſque publicæ haberi momentum ſolet; quia inter Italiam, Galliam, Germaniam media, Alpium cuſtodia, naturâ loci, aut naturæ potiùs miraculo munita; domi quieta, ut ubique pugnet; virtutem verò, otiari neſciam, obſequio armorum foris exerceat. Fidem an fortitudinem ad ſocietatis pacta majorem adferat, dubium eſt: fide

conſtans, ubi ſatis non eſt fortes eſſe; gloriæ tenax, quamdiu illæſam fidem ſervat. Hæc igitur illa fœdera tua ſunt, quæ ſibi alii bella putent: his pugnas, cùm non pugnas, qui vincere etiam ſine armis doctus es, & in tuâ Martem poteſtate habes. Imò gloriæ hæc tuæ fundamenta & velut auſpicia ſunt, quæ alii faſtigia nominent: Mediolani poſita, ut ubique firma ſint: ſis ipſe ubique, quod apud Inſubres fuiſti, quietis publicæ, ſalutis, ſecuritatis auctor. Sed ut Belgarum adumbrem ſtatum, adhuc ſumus, quod Inſubres fuêre: non omnino tamen miſeri; quia dum à te auxilium exſpectamus

ac ſolatium, reſpirare ſub invicto Stratego noſtro FRANCISCO MONCADA, Aytonæ Marchione, licuit; qui publicum fatum incredibili induſtriâ, prudentiâ, vigilantiâ, & totâ adeò virtute ſuſtinuit. Fortunam ille ac ferociam repreſſit hoſtium, ut facilior in Belgium tibi introitus eſſet; imò tuam tantiſper in maximis difficultatibus auctoritate Regiâ perſonam ſuſtinuit, ut quicquid fortiter feliciterque gereret, Purpuræ tuæ dedicaret. Hic ille vir eſt, qui etiam inter arma, quid Litterarum ſtudiis tribuendum ſit, novit; qui non unâ Purpurâ dignus eſt, ſed quæ in triumphis ſolet cerni. Tuam

nunc

nunc respiciunt Belgæ, tanquàm tui sint; & omnia sibi promittunt bona, quia à te reguntur, Principe, Cardinale, Austriaco. Ter gemino hoc venisti titulo, qui omnes in se laudes continet. Principem esse, magnum fortunæ donum est; Cardinalem esse, magnum virtutis; Austriacum esse, magnum Dei. Vincit Fortunam virtus, omnia Deus. Sed ego à fortunâ, à virtute, à Deo Familiam laudo Austriacam, quia Sacram tandem Purpuram admisit: Belgicam laudo nostram, quæ postquàm à Sacrâ regi Purpurâ cœpit, Austriaca quodammodò facta est. Hactenus quidem non alios familia

Cardina-

Cardinales habuit, quàm qui eâdem dignitate Belgicæ præessent, fortunam, virtutem, Deum adferrent. Belgicam laudo; sed heu! totam adhuc nostram non possum nuncupare, tumultu ac rebellione in partes, vel potiùs calamitates pridem divisam. Provinciæ aliæ in Regem, aliæ pro Rege pugnant: pars, ut sub uno, quemadmodùm dixi, liberæ sint; sciunt enim regi ab uno, optimum esse: pars, ut sub pluribus serviant; quod vocant regere. Homines, an vitia accusem, nescio; naturam, an mores. Quia in mari, ut sic dicam, aliqui habitant, non possunt maris ingenium non sumere: quando tur-

ſbines venti accedunt, æſtuare facile eſt. Neptunus hic igitur verè Neptunus eſt, verè, ut cum Homero dicam, ἐνοσίχθων, *terræ quaſſator*. Ergò nubes, tenebras, tempeſtates, longamq; noctem vidimus, cælum non jam Purpureum, ſed fœdum horridumque: terram contrà ſanguine ubique Purpuratam. Novo ſplendore opus erat, ut ſua cælo rediret ſerenitas; novâ Purpurâ, quæ verum terræ ſplendorem redderet, noctem in diem commutaret. Purpuraſcere & mare ſciret. Purpuraſcere & mare ſcimus, ſed remis agitatum. An Cicero fallit: *Quid mare, nónne cæruleum? at ejus unda cùm eſt pulſa remis, purpuraſcit*. Si ludi imagine lucis, oculo-

Lib. II. Acad. Quæſt.

oculorum deliciæ ſunt, quo pretio verum tinctura florem eſſeram? Maritimi homines maritimos mores habent: Purpuram tamen, ut ament, è mari ſciant colligi; ut timeant, ſanguineam eſſe. Hac indutus ALBERTVS, regere prudenter, pugnare fortiter potuit, & gemino virtutis veſtigio ad gloriam ire: hanc poſteà exuit, ut ſuum acciperent Belgæ Principem, quem in Purpurâ venerati erant; ut maritus ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ fieret: quod erat quodammodo Regem eſſe, & ad PHILIPPI majeſtatem accedere. ANDREAS intereà, quia Purpuratus, ALBERTVM egit, & innato vigore aſſurgens, li-

mites ac munimenta penetravit Bataviæ, inque ſinu hoſtium bellum collocavit. Vterque Auſtriacus, uterque Cardinalis erat, uterque quod ipſe es, & novo iſto munere exprimis. Nónne ALBERTI Purpura tua eſt? Auſtriaca eſt; nónne ANDREÆ, tua? Auſtriaca eſt. Totâ virtute, fortitudine, gloriâ fulgere, Auſtriacum, & tuum eſt. Regendo domi, pugnando foris, triumphando ubique, oſtendes te FERDINANDVM, & Auſtriacum eſſe. Sed quia ubique pius eris, Deum in Purpurâ tuum facies, & favore numinis reges, pugnabis, triumphabis. Vide propiùs ac inſpice Purpuram ſive ALBERTI, ſive

ANDREÆ, & utrumque verè pictum videbis: unus hic color purus, color cæleſtis, imaginem faciet. ALBERTVS igitur ipſâ quaſi felicitate ſtipatus, cùm adhuc novus eſſet, hinc Gallos, inde Batavos hoſtes haberet, eduxit copias, Caletum, maris terræq́ue munimentum, quo impetu invadit, eo ſucceſſu capit. Novum Neptunus Martem, novum Mars Neptunum ratus, ferociam ſubmiſit. Prodigium erat, à togâ bellum, à ſerenitate procellam, à Purpurâ fulmen exire. Corollarium victoriæ, & quædam quaſi mantiſſa Ardreſium fuit, obſeſſum, & ad deditionem ſine morâ pertractum. Converſo

mox in Batavos exercitu, Hulstum (de quo dubitares, in aquâ an terrâ situm esset) oppugnari cœpit, & quia spes salutis alia non erat, obsequio exitium redemit. Ne stratagemata deessent, Ambianorum urbs dolo, quasi belli compendio, capta est, ac timeri Purpura cœpit, etiam ubi non pugnabat. An perterreri Gallia potuit? pax insecuta est, & graviori bello Belgium concussit. Profecto deinde in Hispaniam, imò ad nuptias ALBERTO, ne sine Purpurâ regimen esset, rebus ANDREAS præficitur; & pro nomine se gessit, quod erat, stirpem repræsentare: non oblitus Austriacum se esse, tam orna-

menta dignitatis, quàm arma explicuit. Rhenobercam cepit, vicinam Germaniam, belli incendio conterritam, turbatamque, ad ſecuritatem reduxit. Magnum deinde facturus belli pretium, nobilem illam & verè Regiam Inſulæ Bomelianæ Arcem imponit. Vnam hanc ſtruere, non minoris operæ & artis erat, quàm plures capere atque expugnare. Situm mireris & opportunitatem: premi ac conſtringi flumina, quæ venæ hoſtium ac nervi ſunt, potuêre: commercia, cum provinciis ſororibus miſceri ſolita, incîſa ſunt. Moſa igitur & Vahalis, ubi aquarum concurſu communem ſortiuntur alveum,
&

& novo mox divortio capacem Vrbis unius, pluriumque pagorum insulam circumscribunt, frenum acceperant. Breviter; viscera nobis ac vitalia Bataviæ patefacta sunt. Sed plus momenti in milite, quàm munimento positum esse, plus in fide militis, quàm muro ac vallo, fluxa belli fortuna posteà monuit. Non erat miles, qui ut stationem desereret, à sacramento abiit; qui fidem suam emi flagitio passus est, ut hostis fieret. Novâ nunc igitur virtute opus, tuâ, FERDINANDE, opus; ut nihil amisisse videamur: Purpura ipsa virtutem faciet. Novâ felicitate opus, quam jam didicimus tuam esse, & cum Purpurâ

Purpurâ conjungi. Veniſſe, melioris Fortunæ auſpicium eſt. Citiùs enim quàm venires, vincere potuiſti: in Germaniâ arma & vires hoſtium, in Belgio animos, quæ primæ vires ſunt, ac victoriæ fiduciam ſuppeditant. Tua tibi ornamenta arma ſunt, virtutes tuæ vires ſunt, Purpura tua habet, quicquid ad felicitatem facit: habes ipſe in Purpurâ, quicquid laudari poteſt. Quantus ſis, in terribili illo, & adhuc recenti juxta Norlingam prœlio apparuit: ubi tamen, cùm agri longè lateque Barbarorum ſanguine Purpurei eſſent, fœdum cadaverum horrorem Purpura tua mitigabat. Videbant verò in

Duce Hiſpani tui, & Itali, veri utrique Martis pulli & Bellonæ progenies, quo colore victores fierent; Purpuræ tuæ ſimilitudinem hoſtili ſanguine æmulati ſunt: pulchri, quia cruenti, cùm virtus ipſa iram admitteret; in cædem ſtimulata; & ad victoriam vulnera plerique aut ſua, aut ſociorum adferrent. Spartanos pugnaſſe dixerim, qui, ut

Lib. II. cap. VI.

verbis utar Valerii Maximi, *ad diſſimulandum & occultandum vulnerum ſuorum cruorem, pœniceis in bello tunicis utebantur: non, ne ipſis adſpectus ejus terrorem; ſed ne hoſtibus fiduciæ aliquid adferret.* Sumebant pugnaturi φοινικίδα, ut quomodò pugnandum eſſet, ex ipſo veſtitu

&

& ornatu ſuo ſcirent; tegerent plagas, ne ſaucii viderentur; vel oſtentarent potiùs,ut fortes apparerent: quod præter Euſtathium Ælianus annotavit. Sed tua hîc virtus, Magnanime Princeps, non minùs quàm veſtis, Spartana erat:tua Purpura,velut victoriæ fiducia ſimul omnes animabat. Qui à longo ac difficili itinere armati magis, quàm veſtiti erant, fortes fuêre: non homines,ſed tanquàm ſcopuli ac rupes; ut & exciperent vim omnem hoſtium, & eliderent. Sperni pericula poterant, ubi corpora ipſa veluti arma erant, animi verò ultra corpora eminebant. Non ut viverent, ſed ut

Lib. VI. var. hiſt. cap. VI.

vincerent, pugnabant; rapturi ab hoſte, quicquid in itinere conſumptũ erat. Agmina ſic immota, mox incendia facta ſunt, & flammarum quadem tempeſtate quicquid obvium eſſet, fregerunt, diſſipârunt, contriverunt. Hoc erat, pro FERDINANDO Imperatore, pro FERDINANDO Rege, pro FERDINANDO Cardinale dimicare, pro Imperio, pro Religione; imò hoc erat, ancipitem hactenus belli fortunam, bonæ cauſſæ ſubjicere. Sic milites: quid duces? quaſi milites eſſent. Tuipſe, FERDINANDE, cum FERDINANDO Rege tam generosè imperio uſus es, nullum ut periculum timueris, intrepidus, alacer,

& tanquàm pugnandi vetus. Sed tuus ille LEGANESIVS Marchio, totus nonniſi vigor & ignis, circumiens ordines, luſtrans acies, & opportuna ubique ſubſidia collocans, quicquid prudenter, animosè, fortiter fieri ſolet, exſecutus eſt: prorſus, tanquàm cum vincendi modo victoriam ſimul indicaret. Fuſis igitur fugatiſque hoſtibus, ſic duxiſti exercitum, tanquàm pugnares ſemper, ſemperque vinceres. Longiùs etiam fugientium catervas fortuna traxit, ut continua ſtrages eſſet, & victoria ſe cum famâ dilataret. Ita verò oportuit per gloriam ad Belgas proficiſci. Iter enim tuum

nonnisi prœlium fuit, via nonnisi victoria, progressus nonnisi triumphus. Pari calculo, & confecta passuum millia, & hostium poteras numerare. Vrbes ubiq; aut captæ, aut deditæ sunt, patuerunt provinciæ, in obsequium venêre populi, donec ipse ad tuos, Purpuræ tuæ radiis illustrandos, venires. Toto illo tempore, tanquàm faveret natura, ridere visa est; & sine imbre, vento, tempestate Autumnum dedit, ut te crederent omnes non sine numine proficisci. Noster igitur nunc es, Felicissime FERDINANDE, & nos tui. Tu imperio noster, nos obsequio tui. Imperium in Purpurâ læti agnoscimus,

mus, obſequium Purpuræ libentes devovemus. Hæc Regia eſt, & Regem Optimum Maximum, Orientis Occidentiſque Dominum, divino quodam jubare circumfuſum, præſentem ubique facit; Regem, quem Maximum dicimus, & Optimum experimur. Hæc etiam Sacra eſt, & Religione, velut ſanctiſſimâ Reipublicæ lege, quid imperio tuum ſit, quid obſequio noſtrum, circumſcribit. Quod tuum eſt, Regis eſt: non poteſt autem à Rege Religio, non poteſt à Religione Rex, non poteſt à Belgio Purpura ſeparari. Hanc nunc demum intelligimus, quia te intueri datum eſt: hanc publi-

cè oſtendis, ut totum te noſcamús. Fruſtrà ad imaginem eo, quæ quomodocumque vultum tuum exprimat, ſacra eſt: ipſa Purpura tuâ plena quædam & abſoluta tui imago eſt. Vnus hic color colores omnes facit, una linea omnes líneas, una natura omnem artem. Pingant te RVBENII, VANLONII, DYCQVII noſtri, incomparabiles mutæ poëſeos myſtæ; ingenium ac penicillum occupent, umbram lucemq́ue miſceant; amplius in Purpurâ tuâ ſpectabimus. Referet Purpura, quicquid ne pingi quidem poteſt; referet, quicquid admiramur magis, quàm cernimus; quicquid non oculis, ſed animis vide-

videmus. Etiam ludant, qui verbis numeriſque pingunt,& verſu amœni ſunt, ævi noſtri Virgilii, Horatii, Ovidii, quorum VRBANVS Pontifex Optimus Maximus hodie Appollo eſt: ludant, inquam, & *ver Purpureum*, *Purpureos flores*, *lumenq́ juventa Purpureum* appellent; ætas hactenus tua, quæ omnis laudis materia eſt, vere ſuo, flore, lumine nonniſi Purpura eſt, ſed matura ſimul, ac ſeria; virtute citiùs, quàm tempore provecta. Animus tibi annos facit, qui cùm naturæ excedat limites, non poteſt adoleſcentiæ dimenſione coarctari. Vir es, qui viris & fortibus imperas, qui puer nunquam fuiſti:

ſerius, cùm ludere per ætatem poſſes; ephœbus, priuſquàm adoleſceres; magnus, cùm parvus eſſes; ſemper Purpureus, quia Auſtriacus. Quod dixi, in Purpurâ naſci, nutriri, educari, Auſtriacum & tuum eſt: majeſtatem ſimul cum vitâ aſſumere, humanitatem cum luce, virtutem cum veſte, Auſtriacum & tuum eſt: in rebus ſive conſultandis, ſive gerundis annos non expectare, Auſtriacum & tuum eſt. Proavus tuus (non enim poſſum ab his exemplis abire) CAROLVS V. in quo tota familiæ fortuna fulſit, admodùm Adoleſcens, ex Arce, quam incolo, Lovanienſi, educationi Principum
ab

ab antiquo destinatâ, & ex disciplinâ HADRIANI, posteà Pontificis, ad Orbem regendum transiit: Augustus, & primâ adhuc lanugine decorus; ibi Cæsar, ubi adhuc Romani sunt; ubi Austriacum esse, satis est, ne desiisse aut virtus, aut fortuna Romanorum videatur. Avus item tuus PHILIPPVS, quem prudentiæ typum prudentes omnes appellant, tenerâ adhuc ætate tot regere provincias populosque potuit, quot enumerare difficile sit, belli pacisque in Orbe terrarum arbiter, qui plus divini quàm humani animo possideret, vultu depromeret. Iam verò Pater tuus, eodem nomine PHILIPPVS,

ille ad pietatem & manſuetudinem natus, anno ætatis vigeſimo vaſtiſſimam Monarchiæ molem ſuſcepit, cùm anno VI. fratribus jam omnibus extinctis, inauguratus eſſet. Altioris ætatis, neſcio an virtutis, opus erat, Maurorum reliquias, & maturam publico exitio proditionem exilio punire: puniit, ſed juvenis; invitus quoque, quia à rigore & rugis adhuc alienus. Hoc enim bellum, non bellum, geſſit, cùm viro proximus eſſet; præparavit, cùm infra ſceptrum anni viderentur. Eâdem nunc floret gloriâ, & regnat flore invictiſſimus frater tuus, ille non minùs ingenio PHILIPPVS, quàm nomine; non

minùs

minùs virtute Auſtriacus, quàm ſtirpe; cujus in Purpurâ nomen & ingenium, ſtirps & virtus radiorum quodam lumine & quaſi luctamine coruſcant. Natum, non factum Regem dixerim, attuliſſe non ætatem ad Purpuram, ſed Purpuram ad ætatem. Nimirum quod multis eſt vivere, hoc illi regere: omnis enim vita ejus Regno par fuit. A puero vir, ante virum Rex, cùm mores non annos adferret; citiùs caſtra diſponeret, quàm deſeri crepundia ſoleant; nulla haberet crepundia, niſi quæ arma eſſent. Hæc plenâ belli imagine (juſtus enim exercitus, & qui in ordines acieſque moveri poſſet, effictus
 erat)

erat) ab Amitâ ſuâ, æternæ memoriæ Heroïnâ, ISABELLA CLARA EVGENIA è Belgio, velut belli ſede ac officinâ, muneris loco acceperat, ac totum ingenio militari Martem ludens, fortunam ſibi formabat. Iam tum quoque in ſimulacro velut pugnæ, & fortis & VICTOR erat; quaſi ab indole caperet, quicquid ab ætate expectaret. Ad te redeo, FERDINANDE, à quo non tamen diſceſſiſſe videor; ad Purpuram tuam redeo, ut in ætate faciem venerer, juvenilem in juvenili. Hæc enim, quid niſi Purpura? Purpura, ſed lacte interfuſa, ut Ennianum illud uſurpem. Candor pudore tingitur, & in vultu animus

animus jucundiſſimâ virtutum & Gratiarum temperie formoſus eſt.

Tincta rubore genas natura Purpura veſtit. Propertius.

Ipſe oculorum vigor, frontis conſtantia, verecundiæ decor, nihil niſi Regium, niſi Auſtriacum præferunt. Mixta ſeveritate ſerenitas, majeſtate modeſtia, maturitate amœnitas oſtendunt, quàm pænè divinum ſit, in Principe hominem eſſe, humanitatem eſſe: non eſſe Principem, qui cùm amari poſſit, timeri affectet. Te qui vident, non putant affectum ſatis eſſe, ut animum explicent: emicare vident, quod majori cultu ac ve-

neratione dignum ſit. Ipſam in facie mentem vident, & Purpuram agnoſcunt. Mentem puram, mentem pulchram, mentem Auſtriacam, & totâ honeſtate generoſam: illam laude ſplendidam, quia omnem à ſe labem removit; ſplendore laudabilem, quia umbræ neſcia, totam ſe in libero lumine contemplatur, & invenit. Regis ac moderaris ipſe dignitatem tuam, tanquàm Purpuram; Majeſtatem tuam, tanquàm Purpuram; naturam tuam, tanquàm Purpuram, & Sapientiæ munia uſurpas. Dignitas vanitatem excludit, & à vilitate vita ſejuncta eſt; Majeſtas faſtum, & à licentiâ familiaritas;

ritas; natura vitium, & à corruptelâ educatio. Virtutes omnes in Purpurâ ſunt; ſed tuæ ſunt: ideo enim induiſti Purpuram, ut ſciremus tuas eſſe. Prima Religio eſt, & nónne Purpura? Purpura hæc ſacra eſt, & à Sacrorum Principe ac Religionis Capite profecta: Auſtriaca eſt, quo titulo Religionem ac pietatem comprehendo. Initia magnitudinis à pietate ſunt, incrementa à pietate, fulcra à pietate. Hinc bella ipſa, quia non ambitionis, ſed Religionis cauſſâ ſuſcepta ſunt, pia ſunt; felicia etiam, quia pia: tracta alibi, aut impedita, ſive hominum, ſive temporum injuriâ, ut materia victoriæ creſ-
 ceret,

ceret, & pleno Purpuræ splendore ac gloriâ bona vota triumpharent. Non alium finem Belgici hi tumultus tandem sortientur: non alio fine remedia sunt. Tua Purpura piæ caussæ tessera est; tua pietas propitium numen faciet, & cæli tandem fidem, meliora sidere tuo promittentis fata temporum, liberabit. Vinces, FERDINANDE, vel in te potiùs Deus: Dei enim hoc bellum est, & tu Dei. Vinces, FERDINANDE, & pietate tuâ felices Belgarum populos facies: ideò enim pugnabis, ut facias. Victoria tua erit, quia Purpura tua est, quæ victoriam continet, quæ triumphantium olim apud Romanos

fuit,

fuit, in maximâ ſemper lætitiâ uſurpata. Plinius loquatur: *Purpura faſces ſecureſq́ Romanæ viam faciunt, pro majeſtate pueritiæ eſt, diſtinguit ab Equite Curiam, Diis advocatur placandis, in triumphali miſcetur auro.* Lib. IX. ca. XXXVI. Religioni Iuſtitia proxima eſt, ſed Purpura eſt: ideo enim & Iudices, & Reges, qui ſummi Iudices ſunt, Purpurâ utuntur; quia Iuſtitiam adminiſtrant, quia ſanguinis, ut ſic dicam, imperio præditi ſunt, quia ipſo colore poteſtatem ſignificant. Tyrannos ipſos Purpureos ab Horatio dici non jam miror; hoc imperio, hâc poteſtate abutuntur. Valeant iſti: Reges, quia Iuſti, Purpurei ſunt,

& qui Regum nomine Iuſtitiam adminiſtrant. Quin & in provinciis hiſce Belgicis tribunalia, dicaſteria, conſilia aliquando Purpurea erant: & adhuc prætorum poteſtas Purpureo, ſive virgato Iuſtitiæ Inſigni conſpicua eſt. Virga enim præferri ſolet, quæ, Servio, verba illa Virgilii *Virgatis lucent ſagulis* exponente, Gallicâ linguâ Purpura dicebatur. *Virgatis ergò, ac ſi diceret Purpuratis.* Nos etiam, & virgam, & colorem rubrum, ſub quo Purpureus continetur, eodem quaſi vocabulo efferimus hodie, totumque illud Irenarchæ ſatellitium, quod ad publicam itinerum ſecuritatem facit, *Virgam*

Rubram appellamus. Etiam Clementia Purpura eſt: quæ virtus cùm ornamentum imperiorum ſit, Principem maximè Principem facit, & Regem Regem: à tyranno enim utrumq; ſecernit ac ſeparat. *Quid intereſt*, ait Seneca, *inter tyrannum & Regem? ſpecies enim ipſa fortuna ac licentia par eſt, niſi quòd tyranni voluptate ſæviunt, Reges nonniſi ex cauſſâ ac neceſſitate.* Lib. 1. de Clementiâ. Punit tyrannus, ubi poſſet parcere: parcit Rex, ubi punire poſſet, ubi venia quàm vindicta ſalubrior eſt, ubi citra ſeveritatem ſecuritas habetur. An adhuc dico? ſed cum eodem Sopho: *Is, cui curæ ſunt univerſa, quamquam alia magis, alia minùs*
 tuetur,

tuetur, nullam non Reipublicæ partem, tanquàm sui nutrit, inclinatus ad mitiora; etiamsi ex usu est animadvertere, ostendens quàm invitus aspero remedio manus admoveat, in cujus animo nihil hostile, nihil efferum est. Qui potentiam suam placidè ac salutariter exercet, approbare imperia sua civibus cupiens, felix abundè sibi visus, si fortunam publicaverit, sermone affabilis, accessuq́ue facilis, vultu, qui maximè populos demeretur, amabilis, æquis desideriis propensus, nec iniquis acerbus, à totâ civitate amatur, colitur, defenditur. Eadem de illo homines secretò loquuntur, quæ palàm. Clementiam ecce describo; sed ipsam magis describere Purpuram videor: quæ unâ hâc virtute
possit

possset Purpura esse, nisi omnes accederent. Præ reliquis tamen prudentia, vigilantia, fortitudo, temperantia, liberalitas locum hîc sibi vindicant. Prudentia Purpuræ quodammodò Purpura est, lux virtutum reliquarum & anima, belli pacisque ratio, consiliorum & negotiorum regula; quam si quis à Principe auferat, ex Principe Cyclopem faciet, & imperium ipsum exoculabit. Prudentiæ velut soror vigilantia est: ideoque Principem Argum esse volumus, non tantùm ut videat omnia, sed ut nunquam dormiat; occupatus semper & vigilans, ut ad quietem alii veniant. Purpura nisi splen-

ſplendeat, Purpura non eſt:luce interim ac die opus,ut ſplendeat; quaſi dicam,noctem à Principe & tenebras removendas eſſe, ſomnum ac torporem. Si quid Fortunæ tribuendum,hæc cæca eſt, & cæcam Purpuram facit: vigilet Princeps, & videre Fortuna incipiet. Vigilet,& ſe oſtendet Principem eſſe. Verè idem Seneca: *Vlius demum Principis magnitudo ſtabilis fundataq; eſt, quem omnes tam ſupra ſe eſſe, quàm pro ſe ſciunt: cujus curam excubare pro ſalute ſingulorum atque univerſorum quotidie experiuntur.* Quid Fortitudo? tota Purpuræ majeſtas eſt, ſuſtinet ac fulcit quicquid regitur. Fruſtrà enim imperii vires, niſi

nisi & animi sint, parique robore tam prospera, quàm adversa tolerentur. Gemino nónne Purpura colore temperata est? ruborem vides, sed non potuit sine nigredine splendere: *Obscuritas rubens est*, ut verba Cassiodori repetam, *& nigredo sanguinea:* eodem modo verus se Princeps habet; unus, sed bicolor; lætior prosperis, clarior adversis, Purpuram non gerens tantùm, sed faciens. Temperantia verò privata magis virtus quàm publica est, sed in exemplum publicum valet: hanc cùm induet Princeps, verè Purpuram induet; ac sui erit dominus, qui aliorum est; in potestate populos habiturus,

Lib. 1. Variar. epist. 11.

quia voluptates. Quid denique liberalitas? Principis pulchritudo eſt, nec ullam eſſe virtutem arbitror, quæ amorem faciliùs ac benevolentiam ſubditorum conciliet. Ornari pulchritudinem poſſe, Purpura oſtendit, ornari Purpuram poſſe, liberalitas. Ad ſummam, quæ nunquam perit Purpura, liberalitas eſt. Satis iſta, ut Virtutes laudem; nec ſatis, ut Purpuram: Virtutes, ſed tuas; è quibus quatuor tamen primariæ ſunt; & quia Purpuræ Cardinalium propriæ, non fruſtrà etiam *Cardinales* ſolent appellari: Prudentia, Iuſtitia, Temperantia, Fortitudo. Ad Purpuram igitur redeo, & ut eam ma-

gis

gis ornem,ad tuam.Adagio utar, & elogium naſcetur. Etenim quod paſſim dici ſolet, hîc peculiare eſt: ἡ πορφύρα παρὰ τὴν πορφύραν διακριτέα, *Purpura ad Purpuram dijudicanda eſt.* Etenim ut Vir viro præſtat : ita Purpura Purpuræ. Alibi Purpura virum facit, alibi Vir Purpuram; alius capit ornatum, alius adfert; alius tingit, ut ſic dicam, alius tingitur. Familias luſtra, Purpuræ ſunt : Auſtriacam luſtra, Tyria eſt, quæ vincit omnes, tanquàm ſtella faces. Sed Purpura Auſtriaca, quia Sacra eſt, inter colores ignis eſt, inter Purpuras Tyria eſt, δίβαφα eſt, *bis tincta*, & plenam laudem capit, facilè minores lanas velut

obſcurans. Non fruſtrà Quinctilianus: *Lana tincta fuco citra Purpuram placet: at ſi contuleris, etiam lacerna conſpectu melioris obruatur, ut Ovidius ait. Si verò judicium his corruptis acrius adhibeas, ut buccinis Purpuram; jam illud quod fefellerat exuat mentitum colorem, & quâdam vix enarrabili fœditate palleſcat.*

Lib. XII. Inſt. cap. X.

In medium profero pallium breve Purpureum laneſtre, quod Romæ in templo Iovis Capitolini fuiſſe Flavius Vopiſcus ſcribit. *Ad hoc cùm Matronæ, atque ipſe Aurelianus Imperator jungerent Purpuras ſuas, cineris ſpecie decolorari videbantur, divini comparatione fulgoris.* Hæc igitur illa Sacra eſt, quam cùm ad te Summus Pontifex

In Aureliano.

tifex

tifex ſingulari omnino ritu mitteret, formulam illam Regis Perſarum, ad Aurelianum ſcribentis, uſurpare potuit: SVME PVRPVRAM, QVALIS APVD NOS EST. Sumpſiſti, quâ ſolennitate, eâ felicitate, tanquàm univerſa tecum familia veſtiri videretur. O diem illum lætum, & verè Purpureum, quem novus ille color tuus illuſtrabat! O lætam Vrbem, quæ non aliàs pulchrior fuit, quàm cùm te Purpureum in ætate planè Purpureâ ſpectaret! Omnes in lætitiam effuſi, cùm pompâ caperentur publicâ, plus tamen tuâ unius pietate movebantur. Purpuram hanc eſſe, & Eminentem unuſquiſque

 depre-

deprehendebat: Sacram esse, Religiosâ ipse majestate testabaris. Nemo magnificentiùs luminis hunc honorem admisit, nemo religiosiùs induit: feceras, ut quid esset Purpura, omnes cernerent; quid Sacra, si Austriaca fieret; vel potiùs quid Austriaca, si fieret Sacra. Plures sunt Purpuræ, una Austriaca: Vnus jam Austriacus, qui ut inter suos emineret, Sacram assumpsit. Sed olim alius Purpuræ nitor erat, alius muricis, alius buccini, sive κήρυκος; quamvis conchæ hæ omnes, & è turbinatorum genere. Ipsa quoque Purpura loco, colore, proprietate, pretio, ætate distincta erat. Locum intelligo, non

non tantùm ubi naſci ſolet, ſed etiam ubi tingi. Vt Tyria ſive Sarrana, Laconica, ſive Oebalia, Hermionica, Tarentina, Coa, Melibœa, paſſim apud Scriptores. Præcipuæ tamen præcipuas Orbis partes occupant, Plinio ſcribente, *Tyria Aſiam, Laconica Europam, Meningia & Getulica Africam.* Romanam nunc addo, quæ Sacra eſt, & vice Tyriæ; ut cæteris præferatur, & ubiq; ſit. Color quoque varius oſtri nomine, Solis curſu temperatus, & ratione loci: Ater, lividus, violaceus, ruber. Ex Ariſtotele id Vitruvius ſcribit. *Itaque quod legitur Ponto & Galliâ oſtrum, quòd hæ Regiones ſunt proximæ ad Septentrionem,*

Lib. IX. ca. XXXVI.

Lib. VII. cap. XIII.

trionem, eſt atrum: progredientibus inter Septentrionem & Occidentem, invenitur lividum. Quod autem legitur ad Æquinoctialem Orientem & Occidentem, invenitur violaceo colore. Quod verò meridianis regionibus excipitur, rubrâ procreatur poteſtate, & ideo hoc rubrum Rhodo etiam inſula creatur, cæteriſq; ejuſmodi regionibus, quæ proximæ ſunt Solis curſui. Solem hîc quid niſi Pontificem fateamur? Largitur ille Purpuram, ſed Sacram; Sacram, ſed rubram; rubram, ſed Romanam. Largitur unam omnibus; ſed non unam omnes accipiunt. Vt lanâ eſt, etiam Purpura ſplendet: ſed lana aptiſſima, quæ alba eſt, Purpura ſplendidiſſima, quæ rubra

rubra eſt, ſed aliquantulum nigricans, tanquàm aliquid ignis inter flammam & fumum lucentis habeat; attollenda, ut ſplendore ſuo conſpicua ſit, oculoſq; intuentium perſtringat. Auguſtus, ut eſt apud Macrobium, Lib. II. Saturn. cap. IV. cùm de Tyriæ Purpuræ, quam emi juſſerat, obſcuritate quereretur, juſſus eſt erigere altiùs, ac ſuſpicere. Ludens verò, *Quid*, inquit, *ego, ut me populus Romanus dicat benè cultum, in Solario ambulaturus ſum?* Seria igitur Senecæ Lib. I. cap. V. verba ſunt, in Naturalibus Quæſtionibus, *ſunt etiam quidam colores, qui ex intervallo vim ſuam oſtendunt. Purpuram Tyriam, quò melior ſaturiorq; eſt, eò oportet altiùs teneas,*

ut fulgorem ſuum oſtendat. Tyriam hîc quoque dico coloris ſaturitate Sacram eſſe: ſed ut attolli poſſit, & verè conſpici, Auſtriaca fiat neceſſum eſt: ut ſplendere poſſit, ſic attollenda eſt. Etenim poſtquàm Sacram induere Auſtriaci cœpêre, Romanæ majeſtas Eccleſiæ novo quaſi igni refulſit. Auſtriaci, qui Optimi Maximique ſunt, & ubique terrarum à ſe lumen habent. Nulla hactenus familia ſurrexit altior, nulla validioribus adverſùs caſum fulcris ſubnixa eſt. Alibi virtutem fortuna ducit, hîc virtus fortunam: alibi Purpura ſplendorem dedit, hîc accepit. Alibi Sacra, hîc Regalis &

Sacra: pulchrior etiam, quia quæ Regalis eſt, Sacra eſſe cœpit, & novum à Sole ſuo, id eſt Pontifice, ſplendorem capit. Hæc enim Purpuræ, ſed Tyriæ natura eſt: *gaudet*, ſcribente Iulio Polluce, *peculiariter Sole. Cæleſtis enim ignis radio percuſſa, auguſtior ſplendidiorq́ue redditur.* Ad ALBERTVM redeo, ſed Auſtriacum: oſtendit ſe Cardinalem eſſe, aſſumpſit Purpuram, & vitam ab omni alienam nævo egit: exuit Purpuram, & pietatem retinuit; poſt veſtem animi conſtantiâ Purpureus, ut ſemper pius eſſet, & hoc nomine veri officium Principis omnibus inculcaret. Imò ad ANDREAM redeo, ſed Cardinalem: oſtendit ſe Lib. I. cap. II.

Auſtriacum eſſe: non veſtem tantùm, ſed virtutem quamdiu vixit, retinuit; ut nunquam moreretur: qui cùm Belgium regeret, etiam inter arma mitem ſe oſtendit; cùm Protector Imperii eſſet, à nomine & familiâ ſubſidia dignitati attulit. Tua nunc Serenitas reddit Belgis Purpuram, quam amiſerant; reddit Purpuræ pretium, quod ſummum eſſe non poterat, niſi Sacra illa tinctura, Auſtriaca rurſus eſſet; in Eccleſiâ & Republicâ Chriſtianâ reſplenderet. Terrâ, FERDINANDE, major es: cælum comprehendis. Efficis divinâ indole tuâ, Regis frater, Regis filius, ut quia ad Auſtriacos Pur-

pura redit, quæ Sacra eſt, verè Eminentiſſima dicatur; ſed verè ſplendere incipiat, quia Eminentiſſima facta eſt. Animi tui magnitudo Regia eſt; ſi nec id ſatis, Sacra eſt; ſi nec id, Auſtriaca, & infra ſe fortunam collocavit. Felices nunc igitur Belgæ, regi faciles, quia in eâdem Purpurâ & divinitatem, ſuo lucentem colore, admirati ſuſpiciunt, & blandientem ſimul ſuſpicientes humanitatem admirantur. Proprietas varia eſt, & variam contemplanti materiam ſuggerit. Mente manuque mundâ tractandum eſſe florem Purpuræ, ſatis in principio expoſui: ideo enim florem dici, ideo eſſe Purpu-

ram. Sed *contra venena prodesse*,

Li.xxxii. cap.vi. Plinius indicat. An frustra? Vitia Religionis & Reipublicæ venena sunt: his verò edomandis & Purpuram, & potestatem suam opponunt Austriaci: ideo magni, ut omnes sani ac securi sint; felices ac læti. Amplius: Semel lanâ receptum pelagium, elui nequit: *nescit antè subtrahi*, ut cum

Lib. I. var. cap. II. Cassiodoro dicam, *quàm vestis possit absumi.* Id & Lucretius an-

Lib.vi. notavit:

Purpureusq; colos conchylii mergitur unà
Corpore cum lana, dirimi qui nec queat unquam,
Non si Neptuni fluctu renovare operam des,

Non

Non mare si totum velit eluere omnibus undis.

Vt Purpurà, sic gloria Austriacorum est, semel parta, ut æterna sit, semperque splendeat, non tempori, non fortunæ cedens. Maria concitent & tempestates, qui satis è terrâ infesti non sunt, ut noceant; frustra erunt. Omnes ubique Serenitate Austriacâ inferiores undæ sunt: purpurascent ipsæ citiùs, quàm Purpuram inficiant. Moveant omnia, cælo tamen obnoxiæ erunt: quid tandem? ignem Austriacum in ipsis deprehendent aquis ardere. Pretium sequitur, & loci ratione, & coloris æstimandum: quod totum Tyriæ tribuitur, Strabone

Lib. xvi. bone teste: πολὺ γὰρ ἐξήτασαι πασῶν ἡ Τυρία καλλίστη πορφύρα: *Longè enim omnium præstantissima habetur Purpura Tyria.* Hanc apud Athenæum Theopompus tradit, *olim Regibus expetitam fuisse, tanti quidem pretii, ut æquali argento penderetur.* Romæ priùs violacea erat, posteà Dibapha. Violaceæ libram denariis centum væniſſe, Plinius ſcribit; Dibapham verò in libras denariis mille non potuiſſe emi. Dibapham igitur Auſtriacam voco, cui Sacra acceſſit: Eminentiſſimam voco: quo vocabulo VRBANVS tandem VIII. univerſum pretium complexus eſt; cùm ſatis etiam non eſſet, à ſplendore Illuſtriſſimam appellari. Ad

Lib. ix. cap. xxxix.

ætatem

ætatem venio, quam & in Purpurâ Antiqui admirati ſunt. Plutarchus narrat, *Suſis captis, inter reliquos admirandi pretii theſauros ingentem Purpuræ Hermionicæ vim inventam eſſe, annorum centum nonaginta, ſed pleno adhuc & recenti flore.* Id miratus verò cùm ſciret in menſes vix ſenos integrum & ſine mangonio Conchilii contuſi oſtrum conſervari, cauſſam aſſignat, τὸ τὴν βαφὴν διὰ μέλιτος γίνεσθαι τῶν ἁλουργῶν, δι' ἐλαίου δὲ λευκοῦ τῶν λευκῶν, *Quòd tinctura melle fiat in puniceis, oleo verò albo in candidis.* An igitur & Purpuræ aliquæ candidæ ſunt? non magis quàm ſanguis. Candor hîc ad corticem Conchylii, non ad ſuccum referendus In Alexandro.

 eſt:

eſt: quod Viris Doctis placuit. Candidâ enim Purpuras teſtâ inveniri, cruorem ſemper cruorem eſſe, ac naturâ ſuâ rubêre. Oleo quidem quomodò Purpura conſervetur, alii diſputent: colant Purpurati pacem ac tranquillitatem, quæ oleo denotatur; & diuturnam Purpuram, ſtabile regnum facient. Melle miſceri Purpuram etiam Vitruvius docuit: *Oſtrum autem propter ſalſuginem citò fit ſiticuloſum, niſi mel habeat circumfuſum.* Hinc quoque non invenuſtè Varro ſcribit, Heraclidem Ponticum plus Sapientiæ habuiſſe, qui comburi volebat corpora, quàm Democritum, qui in melle conſervari.

Lib. VII. cap. XIII.

Magnam

Magnam enim illius caritatem secuturam. Dabunt apes Purpuram, quæ melle conservetur: qui evexit hodie Purpuram VRBANVS VIII. Pontifex Optimus Maximus, longævam & perennem fecit: qui mella gerit, evehere potuit. Sanè quoties familiam gentilitio insigni indicat, apes ostendit: ingenio & eloquio totus melleus, totus Purpureus, totus floridus, totus non sanguineus; sed Sanctus, Purpuratorum Patrum Princeps; Pater omnium. Non omnes gerunt Purpuram; omnes tamen unius filii sunt. Non omnes qui gerunt, Reges sunt; splendent tamen instar Regum, quia sacratiore decorantur

majeſtate. Ipſi hinc ſciunt Reges, benigno, ſuavi, melleo ſe imperio diuturnum Regnum facere, & longâ nepotum ſerie in ſæcula propagare. Melleus erit, qui Clementiæ memor, amari, quàm timeri malet; ſecurus eſſe, quàm formidoloſus; miſereri, quàm iraſci. Non terreat ſubditos, ſed à vitiis abſterreat; colore, quàm ſupplicio pulchrior; affectu, quàm ſeveritate. Occaſione ætatis dicta hæc ſunto: ſed in tuâ Purpurâ, quæ loco Romana eſt, colore Dibapha, proprietate ſalutaris, pretio Sacra, ætate Auſtriaca: in tuâ, inquam, Purpurâ quantum floris, tantum felicitatis eſt; quantum ſalutis, tantum

gloriæ; quantum laudis, tantum luminis; quantum oſtri, tantum exempli; quantum temporis, tantum æternitatis: quæ omnia ad eos quoque ſe extendunt, quos regis, imò per quos regis. Vtrique tui ſunt, & Purpurâ tuâ læti lautiq́ue: hi verò, quia gradu, curâ, labore proximi, aliquid etiam Purpuræ habent, ſive Domeſticos, ſive Aulicos, ſive Palatinos, ſive rerum & conſiliorum miniſtros debeam appellare. Alexandrum hîc cernere videor, Philippi Filium, illum non minùs ætate, quàm Purpurâ floridum, & tamen magnum: non ſe putavit Alexandrum eſſe, niſi & in Amicis, Cuſtodibuſq́ue ſplen-

 deret.

deret. Etenim ut verè Rex esset, verè Magnus, circùm se plures videre Reges voluit, voluit non aliâ suos veste uti, quàm ipse gestaret. Quos fidos, fortes, &, uno verbo, suos habebat, jussit & Purpuratos esse: jussit, ut sic dicam, Reges esse, ut suos appellaret; summo ornatos cultu ac pretio, ut quemadmodùm in Ephæstione Sisygambis Mater Darii erraverat, plures & Hephæstiones, & Sisygambes essent, in non uno plures deciperentur. Sed Purpurati tui, prudentiâ, fide, obsequio Purpurati sunt: virtutem, tanquàm φοινικίδα habent: tuam venerantur Purpuram, & sic gerunt. O lumina!

ô decora virorum! Sed proximus, intimâque familiaritate carus, Vir ille Dei eſt, ſuaviſſimâ Patris appellatione omnibus venerabilis, IOANNES A S. AVGVSTINO, auguſtum Ordinis Auguſtiniani nomen; cui uni & Purpuram tuam, & quod majus eſt, conſcientiam, Religioſiſſime FERDINANDE, ſubmittis, quoties ſanctiſſimo ad Deum myſterio acceſſurus, animi penetralia expias. Hic ille Vir eſt, ille Pater, qui ſaluberrimo eloquio, & Chriſtianâ prudentiâ, doctrinâ, pietate meruit, ut in Hiſpaniâ à Sacris Regi concionibus, in Belgio à ſummis imperii conſiliis eſſet; niveam ore, ſi dicendum eſt, fundens

dens verborum Purpuram ; si agendum , plenam pectore & exactam rerum maturitatem. Fulgentissimus omnium splendet, animo, non Conchylio; gloriâ, non Purpurâ, AYTONÆ Marchio MONCADA , Aulæ & belli summus Præfectus , qui totus ex virtute compositus, ut maximè tuus esset, Belgium tibi hostilibus obsessum armis , clausumque, feliciter aperuit, tuumque fecit. Splendore prorsus heroïco ad hanc accedit gloriam LERMENSIS Dux, magna Consiliorum pars, magna Armorum: qui vitam solâ virtute æstimat ; virtutem, quæ magnitudini Regiæ impenditur. Plures in hâc classe

Martis

Martis heroïcâ laude Duces; Præfecti, Tribuni ſunt, & à Purpurâ ſplendorem trahunt; ſed ſuis ſeorſim, & ſuo loco, elogiis exornandi.

Quid ROSA *Purpureo creſcens rubicunda colore?* Virgilius.

ROSA, amor ac delicium Viri, Conſiliorum lumen, negotiorum columen, major munere ſuo, quamvis ſummo, quia quicquid laudari poteſt, attulit: quem cùm poſteri inſpicient, unius exemplo ſæculi contenti erunt; ac fatebuntur, etiam in Belgicis Petris naſci Purpuram potuiſſe. Quid Sanctioris Ærarii Illuſtriſſimi Præfecti? Theſauri in theſauris, aurum & gemmæ Purpu-

rarum? Ordines ipsi Patriæ tergeminum submittunt splendorem Purpuræ tuæ, & ad Purpuram ipsi quodammodò assurgunt. Quid Sacri Antistites? suo vel colore, vel munere spectabiles?

Læto Purpureæ resplendent lumine mitræ,
Nigra micant tenebris vellera tristitiæ.

Sed cedat tristitia, satis jam luximus: succedat gaudium, quicquid in ISABELLA amisimus, in FERDINANDO recuperamus. Illa cælestem induit Purpuram, & ad gaudium vocat: tu, quia tristitiæ nubem eliminas, tuos vocas ad Purpuram, quam in luctu,

luctu, more prisco, posuerant. Vocas ad munia solita, ut se sciant tuos esse, &, renovatis auspiciis, in Aulâ & Republicâ occupentur. Ministri tui, familiares, custodes quidni Purpurei sint? Tot sanè manus tibi, quot ministri, ut regas omnia; tot aures & oculi, quot familiares, ut scias omnia: tot custodes corporis, quot cives, ut ameris ab omnibus. Non te constringam uno Lare, aulâ, palatio. Lar tuus affectus populorum est; aula tua, ipsa Respublica; palatium tuum, Belgium universum. Nullis liminibus coarctatus, nullis parietibus circumscriptus, nullis adytis secretus aut abditus, in

omnium habitabis animis, quæ pulcherrima & augustissima domus est. Illa Purpura tua, ubicumque scintillabit, conspicuum te faciet; in die ac luce ponet. Voles ipse quæcumque dices ac facies patêre omnibus, & publica esse; voles omne in exemplum transire imperium; voles omnem benevolentiâ potestatem, clementiâ rigorem, salute severitatem mitigare, & notam esse: voles arcana tantùm & secreta esse, quæ in hostem consultabis; quæ facta esse quàm fieri, citiùs fama intelliget. Sic verò in publico operá tua erunt, consilia in occulto: fient consilia opera, quia tegi & occultari poterunt.

Vbi

Vbi lumen eſt, involucrum quæres; ut quæ ſemper & ubique ſplendet Purpura, aliquid hîc caliginis habeat; deſinat curioſis, & ſic hoſtibus lucere. Deſinat? ſed magis incipiat, cùm in ſignum belli & pugnæ, Romano more, extendetur. Hoc vexillum illud Purpureum erit, hoc velum tunicæ formâ (κόκκινον χιτῶνα Plutarchus, & φοινικοῦν appellat) quod è tabernaculo ducis efferri olim ſolet: hoc colore animari tui poterunt, hoſtes terreri. Quemadmodùm verò tunicam iſtam homines: ita apud Homerum Dii, pugnaturi ſcilicet, Irim habuêre. In Fabio. In Bruto.

Ἠΰτε πορφυρέην ἶριν θνητοῖσι τανύσσῃ Iliad. ρ.

Ζεὺς ἐξ οὐρανόθεν, τέρας ἔμμεναι ἢ πολέ-
μοιο,
Ἢ καὶ χειμῶνος δυσθαλπέος. —
Sic ubi Purpuream de cælo Iuppiter
Irim
Demittit, signum aut belli morta-
libus agris,
Aut tempestatis gelidæ. —

Non te possum, FERDINANDE, nisi cum Diis ponere: Purpura tua Iris erit, belli signum, tanquàm tempestatem daturus sis; tempestatis signum, ut sciant hostes, quale deinceps bellum exspectent. Promptos ac animosos habes milites, eo prætereà colore insignitos, qui virtutis militaris admonet; eo ornatu, quo non fortes tantùm ac strenui,

sed

ſed felices ſint, pari & pugnam fiduciâ, & victoriam capeſſant. Cinguntur Purpurâ, ut ſciant ſe Regios & Auſtriacos eſſe: ſplendent ſanguine, ut gloriâ accendantur; ut periculum, quàm otium malint; vincere, ſi alterutrum eligendum, quàm vivere; mori, quàm vinci. Criſtis baltheiſque Purpurei ſunt: Purpuram pileis galeiſque gerunt, thoracibus ac loricis, ſed Auſtriacam; & quia ſtipendia ſub Auſtriacis faciunt, dignos ſe Purpurâ oſtendunt. Criſtæ ſic quidem antiquitus uſurpatæ, quemadmodum de Turno Poëta: Lib. IX.

— maculis quem Thracius albis
Portat equus, criſtâque tegit galea aurea rubrâ.

Tales

Tales cæteri quoque Rutuli,

Ibid. *Purpurei cristis juvenes, auroq; corusci.*

Tales peculiari laude, ut Diodorus Siculus testatur, Celtiberi, Hispaniæ populi, & ad militiæ splendorem nati: περὶ δὲ τὰς κεφαλὰς κράνη χαλκᾶ περιτίθενται φοινικοῖς ἠσκημένα λόφοις: *æneas capitibus galeas imponunt, cristis puniceis exornatas.* Ad balthea mirum in modum verba Dorothei faciunt, ut Latinè habemus: *Habet unusquisque Regi militans Purpuram in lanâ suâ. Ex quo enim Rex Purpuram ferre cœpit, omnes ejus milites sagulis suis Purpurea signa apposuêre; ut ex his appareat, Regios eos esse, & Regi commilitare.* Sed tui, FERDINANDE Bellicosissime,

Lib. IV. Bibliothecæ.

Lib. de modo rectè vivendi, Doctrina 1.

me, ex omnibus ferè gentibus
Europæ collecti, quia tui, Pur-
puram ſuam merentur; imò quia
tui, verè milites ſunt. Tot Iri-
des ſemper, quot acies explica-
turi, terrorem incutient hoſti-
bus, ut victoriam extorqueant:
quemadmodùm fractis animis,
facili Marte vires ſuperantur.
Deus aderit, minas & tempeſta-
tes diriget, conſilia & arma. Fa-
ciet, ut proſpera utraque ſint; ut
correctis, quæ in Rempublicam
ac Militiam irrepſerunt, vitiis,
diſciplina victoriam pariat, pu-
gna pacem, gloria felicitatem.
Prœliare, & vinces: vince, &
quantum gloriæ ipſe capies, tan-
tum populi felicitatis. Omnes,

omnes, quotquot ſub imperio exultant Regio, ſtudia & ſubſidia ſua conferunt; quotquot ſub hoſtili gemunt, deſideria ac vota. Aliquam & ego partem tuorum inter Belgas conſtituo, munere hactenus Regio ac titulo ingenium, ſtilum, vocem publicè occupans. Si fas dicere, & ego aliquid Purpuræ tuæ hauſi, quam officioſo nuper ſermone, cùm Lovanii obſequia mea dedicarem, veneratus ſum, modico ornatu, immenſo affectu. Quod feci, rurſus facio, tanquàm favore tuo incitatus; tantò brevius, quantò laudabilius eſt, reverentiam, quàm facundiam apud proximos Deo Principes profi-

profiteri. Dicenti Benignitas tua propitia fuit: ſcribere quæ dixi, aut partem eorum quæ dixi, quid ni audeam? Rurſus igitur Sacram Purpuram tuam veneror, rurſus Purpuræ tuæ Palladem meam, imò Regiam offero. Meam, quæ eruditionis ac Litterarum eſt; Regiam, quæ Arcis & armorum eſt, & in tuam nunc tutelam tranſit. Illa mea, tota mitis, quieta, ſimplex, & Sapientiæ, artes omnes bonas complectentis, amabilis imago eſt. Illa verò Regia, quamvis Martialis, pacem tamen ſpirat, & in Antiquâ ſede ſuâ, tanquàm Attica Liberalium Studiorum Acropoli, arma depoſuit. Potuit, poſt noctem tem-

porum, me tandem Præfecto, amœna esse, quemadmodùm loci genius amœnus est; Potuit, semoto Marte, Musas & Gratias in contubernium suum admittere, postquàm instaurare ruinas & ausus, & aggressus sum. Vt Arcem igitur offeram, Palladem offero:

Virgilius. ----- *Pallas, quam condidit Arcem,*
Ipsa colit.

Offero Palladem; sed Atheniensium exemplo, qui Antonio Triumviro, Liberi Patris habitu & comitatu ad se venienti, Palladem suam in uxorem obtulerunt. Admisit ille, ut blandientium delicias æstimaret; sed dotem simul mille talentûm exegit,

git, ut divina ſponſalia pleno prorſus pretio nobilitarentur. In uxorem? imò in ſociam, ut ſic dicam, vitæ & conſiliorum, & quemadmodùm Vlyſſes eam Homericus habuit. Si & munere mulctandus ſum, permitte quæſo, Sereniſſime Princeps, ut ipſe munus fiam, ut quicquid ingenio, ſtilo, voce poſſum, in munus computem. Non dabo talenta, & liberalis ero: vincam alios, quia nihil mihi relinquam: quicquid enim dare poſſum, ingenio, ſtilo, voce concludo. Dabo, quod pauci fortaſſis æſtiment, apud te verò ſummum erit; quia à poſteris demum pretium accipiet. Dabo quod meum eſſe in-
 cipiet,

cipiet, quando non ero: tuum autem nunquam esse desinet, quia semel cœpit. Sed quicquid promitto, jam tuum est, quamvis meum appellem: meum labore, tuum favore. Irrigandus enim labor est, ut fructus subsequatur: quemadmodùm hominis manus in agro colendo sterilis est, nisi divinum munus accedat. Etenim Litteræ omnes, & quicquid ingenio constat, patrocinio alitur: tanquàm suum felix Princeps sæculum faciat, si ad se putet fomenta Litterarum ac Sapientiæ pertinere. Nisi in Republicâ Litteræ sint, tenebræ sunt: sed Sole opus, ut Litteræ luceant: Principe opus, ut prisco
&

&glorioſo exemplo velit Mæcenas eſſe. Te, FERDINANDE, Solem dico, te Mæcenatem appello; à tuâ Purpurâ non Reipublicæ tantùm, ſed & Litteris ſplendor accedet; & Reipublicæ, quia Litteris: à tuâ Purpurâ, ut formulas meas repetam, quia Auſtriaca, quia Sacra, quia Regia: quam ut familiariùs colam, à Benignitate tuâ; ut liberaliùs eveham, à modeſtiâ impetrabo.

Omnis igitur oratio mea FERDINANDVM exprimet, omnis ſcriptio mea FERDINANDVM repræſentabit. Audientur laudes tuæ, nec aliæ aurium deliciæ erunt; legentur, nec aliæ oculorum. Audebo, dum Purpuram tuam

veneror,

veneror, non uni populo, non uni sæculo ostendere, ingenii tibi cultum curæ esse, Viros in Belgio eruditos tuo affectu erigi; eo denique jam loco doctrinam esse, ut quamminimùm aut fortunæ, aut hominum protervíam timeat; eo Rempublicam, ut sperare felicitatem possimus. Corriges quæ prava sunt, emendabis quæ corrupta, restitues quæ lapsa. Ad Regulam mores, ad modestiam vestes, ad splendorem artes venient: cultus luxum pellet, pudor petulantiam, modestia lasciviam. Rerum omnium norma ac regula Purpura tua erit, imperio valida, ut jubere possis; exemplo benigna, ut malis

invitare.

invitare. Purpura, inquam, tua, ſed Sacra, quæ potens quædam pietas eſt; ſed Regalis, quæ piam potentiam continet. Aſſeres Deo quæ Dei ſunt, & religione conſtant, huc Purpura facit: Regi, quæ Regis ſunt, quæ jure nituntur, & huc facit. Vna eſt Purpura, & gemina eſt; ut unam eſſe cauſſam ſciamus & Dei, & Regis. Vna Purpura, ſed Auſtriaca, quæ & Sacram & Regalem comprehendit. Quare pro Deo pugnabit Purpura tua, ut Religio reſplendeat: pro Rege, ut jura majeſtatis cum ſalute Reipublicæ conjungantur. Deus adeſt, quem non videmus: Rex adeſt, quem in te videmus. Ali-

quid hîc Dei Rex habet, ubique Rex eſt; hîc præſens maximè, ubi præcipuè pugnat. Exſerit ubique & oſtendit potentiam ſuam, magnitudinem, fortunam: hîc ſeipſum. Ergò quanti Belgium fecerit, ſi neſcire potuimus, hinc jam potiſſimùm diſcimus; quòd alias Orbis terrarum partes ac provincias per Duces & Purpuratos ſuos regit, qui diverſo omnes gradu, ſed te minores ſunt; Belgium verò noſtrum, per fratrem, tanquàm per ſe. Majorem certè & meliorem mittere non potuit: miſit eum, qui proximus ſceptro, & quodammodò æqualis eſt, non aliâ conditione inferior, quàm quòd naſcendi

nascendi ordine secutus. Quid tandem? Misit Purpuram, amoris sui pretium, ille novus non in uno Orbe, sed gemino Hercules; & hâc se Belgicâ, velut nova Tyrus, capi fatetur. Præsentem sic igitur habemus Regem, quia te: Regias tecum vires, Regiasq; Virtutes attulisti. Sed quemadmodùm publicam lætitiam privato expressi gaudio Sacram Purpuram tuam veneratus: ita omnium vota, meis etiam precationibus prosequar: Vt te nobis Deus incolumem, lætum, florentem servet: in multa longævum sæcula conservet, virtute, fortunâ, gloriâ eminentem servet, & conservet. Spes omnium

in te uno ſita eſt : animi Belgarum in te uno. Suum te Amorem, ſuum præſidium, ſuum decus habent; Lucem præterea ac voluptatem ſuam Purpuram tuam appellant. Plura quid attinet dicere? cedit eloquentia Purpuræ, lingua luci. Faciet Deus, quæ dicenda erant: & lætum conſiliis imperium tuum, proſperum viribus bellum, glorioſam victoriis atque triumphis Purpuram efficiet: quam cùm timere hoſtes incipient, vel inviti adorabunt; ut incipiant verò, Germania, tuo beneficio ad lætiorem aſſurgens fortunam, monet. Interim nos te pugnantem in Belgio per media ſequemur

mur discrimina, ut ad publicam rerum pacem, quam benignitas siderum tuorum universæ promittit Europæ, veniamus; pro Rege & Religione fundere parati, quod in Purpurâ tuâ videmus.

MEO ORE, AFFECTV OMNIVM;
MEO AFFECTV, OMNIVM ORE
DICTA HÆC SVNTO.

VIRGILIVS.

PVNICEIS *invecta rotis* AVRORA *rubebit.* Lib. XII.

PVRPVRÆ
VETERIS
RELIQVIÆ SELECTÆ,
QVÆ
Ad lucem AVSTRIACÆ faciunt.



VRPVRA *hæc igitur* AVSTRIACA *est, Sacra est; quam cùm describerem, profanam esse & sepiam, & quicquid non purpurasceret, arbitratus sum; ostrum atramento violari. Ad tristes sic quidem, & hostes noctis color ablegandus est: nos in publico decet gaudio lætos ac floridos esse, luce & laude Purpureâ Principem planè Purpureum venerari. In honore antiquitus* χρῶσιν *istam fuisse, & ad Litteras*

teras translatam, Rubricarum aucto-ritas testatur. Leges, & tituli splendêre minio solent, cocco indices, Purpurâ ipsi libri. Et minium *quidem, Plinio teste,* in voluminum quoque scri-pturâ usurpatur, clarioresque Litteras, vel in auro, vel in marmore, etiam in sepulchris facit. *Addo, quod mireris: & hîc scire operæpretium sit:* Iovis ipsius simulachrum diebus festis Romæ minio illini solitum, triumphantiumque corpora: imò sic Camillum triumphasse. *De cocco, & Purpurâ Martialis, ad librum suum:*

Lib. XXXIII. cap. VII.

Lib. III. epigr. II.

Cedro nunc licèt ambules perunctus,
Et frontis gemino decens honore
Pictis luxuriêris umbilicis:
Et te Purpura delicata velet,
Et cocco rubeat superbus index.

Sed

Sed noſter hic liber, quia argumento Purpureus, rubere ſine vitio potuit: ut ſi legeres Purpuram, ſimul & videres. Legeres veterem, videres novam: in vetere novam, ut ſic dicam, adumbratam. Non omnia, quæ allubeſcere poterant, dicere opportunum fuit: & quia Bayſius nuper, Rondeletius, Geſnerus, Aldrovandus, aliiq; induſtriam ſuam profeſſi ſunt; ſatis mihi, Imaginem Principis Purpurâ, quantum fieri potuit, repræſentare. Vt argumento tamen ſatisfacerem, reliquias pauculas veteris Purpuræ collectum ivi, quibus ſiquid in Imagine fortaſſis obſcurum eſſet, illuſtraretur.

CAS-

CASSIODORVS LIB. I. VARIARVM EPIST. II.

THEONI V. S. THEODERICVS REX.

COMITIS Stephani insinuatione comperimus, Sacræ vestis operam quam voluimus necessariâ festinatione compleri, disrupto magis labore pendêre: cui usum subtrahendo solennem, abominandam potiùs inferre cognosceris tarditatem. Credimus enim aliquem provenisse neglectum, ut aut crines illi lactei, carneo poculo bis terque satiati, pulcherrimâ minùs ebrietate rubuerint, aut lanæ non auxerint adorandi muricis preciosissimam qualitatem. Quapropter si perscrutator Hydrontini maris intusa conchilia solenniter condidisset apto tempore, acervus ille Neptunius generator florentis semper Purpuræ, ornator solii, aquarum copiâ resolutus, imbrem aulicum flammeo liquore laxaret. Color nimio lepôre vernans, obscuritas rubens, nigredo sanguinea, Regnantem discernit, dum conspicuum facit: & præstat humano generi, ne de aspectu Principis possit errari. Mirum est, substantiam illam morte confectam, cruorem de se post spatia tam

longi temporis exſudare, qui vix ſolet vivis corporibus vulnere ſauciatis effluere. Nam cùm ſex pænè menſibus marinæ deliciæ à vitali fuerint vigore ſeparatæ, ſagacibus naribus neſciunt eſſe graviſsimæ: ſcilicet ne ſanguis ille nobilis aliquid ſpiraret horroris. Hæc cùm infecta ſemel ſubſtantia perſeverat, & neſcit antè ſubtrahi, quàm veſtis poſsit abſumi. Quòd ſi Cônchiliorum qualitas non mutatur, ſi torcularis illius una vindemia eſt, culpa nimirum artificis erit, cui ſe copia nulla ſubtraxit. In illis autem rubicundis fontibus cùm albentes comas ſerici doctus moderator intinxerit, habere debet corporis puriſsimam caſtitatem: quia talium rerum ſecreta refugere dicuntur immunda. Hæc ſi omnia conſtiterunt, ſi in nullâ parte prætermiſſa videatur eſſe ſolennitas; miramur, tua te pericula minimè cogitaſſe: dum ſacrilegii ſit reatus, negligentiæ, in tali veſte peccare. Quid enim agunt tot artifices, tot nautarum catervæ, tot familiæ ruſticorum? Tu quoque Comitivâ ſubvectus tantis jubes, tantâ te iſtius nominis præſumptione defendis; ut cùm regale opus crederis agere, in multis videaris tuis civibus imperare. Hoc ergò remiſsio tua negligit, quod te in provincia ſubvexerat, & ad conſpe-

conſpectum Principis honorabilem venire faciebat? Quòd ſi te facultatis tuæ adhuc cura non deſerit, ſi te ſalutis propriæ tangit affectus, infra illum diem imminente tibi harum portitore, cum blattâ, quam noſtro cubiculo dare annis ſingulis conſuevisti, venire feſtina. Quia jam non compulſorem ad te mittimus, ſed ultorem, ſi aliquâ credideris ludificatione tardandum. Verùm talis tantaque res, quàm facili legitur inventa compendio? Nam cùm fame canis avida in Tyrio litore projecta conchilia impreſsis mandibulis contudiſſet, illa naturaliter humorem ſanguineum defluentia, ora ejus mirabili colore tinxerunt: & ut eſt mos hominibus, occaſiones repentinas ad artes ducere, talia exempla meditantes fecerunt Principibus decus nobile dare, quod ſubſtantiam noſcitur habere mediocrem. Eoa Tyros eſt Hydron Italica, aulicum profectò veſtarium, non antiqua cuſtodiens, ſed jugiter novella tranſmittens. Vide ergò, ſi quis te patiatur minùs implere, quod nos tam neceſſariò cognoſcis expetere.

IMPERATORES
GRATIANVS, VALENTINIANVS, ET THEODOSIVS
FAVSTO COMITI SACR. LARGITIONVM.

Cod. Quæ res venire non possunt.

FVCANDÆ, atque distrahendæ Purpuræ, vel in serico, vel in lanâ, quæ Blatta, vel Oxobapta, atque Hyacinthina dicitur, facultatem nullus posśit habere privatus. Sin autem aliquis supradicti muricis vellus vendiderit, fortunarum suarum, & capitis sciat se subiturum esse discrimen.

ARISTOTELES,
LIBRO V. DE HIST. ANIMALIVM.

MVLTA Purpurarum genera sunt: quædam magnæ, ut ad Sigæum, & Lectum; aliæ parvæ, in Euripo, & ad Cariam. Pelagiæ verò, & magnæ & scabræ sunt; quarum plurimæ florem sanguinis nigricantem habent, nonnullæ aliquantum rubescentem. E magnis quædam etiam minam pendunt. Quæ in littoribus & circa maris oras reperiuntur, parvæ quidem sunt, sed flore rubro. Aquiloniæ, nigræ ut plurimùm sunt; Austrinæ verò, rubræ.

Florem

Florem ſuum inter papaver & collum continent, texturâ densâ, colore candidæ membranæ, quæ ablata & compreſſa manum tingit. Tractus ejus, tanquàm venæ eſt. Hoc ipſe flos videtur eſſe; reliqua, concretio, quaſi aluminis. Cùm favos conſtruunt, deterrimus flos eſt. Parvæ tundi cum teſtis debent: difficulter enim ſanguis ſecernitur. Collum igitur à papavere ſeparari ſolet; quorum in medio flos eſt, ſupra eam partem, quam ventrem vocant. Quare ſeparato flore, illa quoque ſeparari neceſſum eſt. Præcipuè curandum, ut vivæ tundantur: niſi enim priùs fregeris, quàm exſpirent, florem omnem ſimul cum vitâ evomunt.

In paſtum prodeunt, linguâ de teſtâ exſertâ, cujus longitudo, digiti excedit. Hac paſcuntur: hac & conchas, & ſui generis teſtas perforant. Tam Purpura, quàm buccinum diu vivunt. Purpura enim ad annum uſque ſextum. Manifeſtum verò quotannis incrementum ex teſtæ tortuoſis intervallis deprehendas.

PLINIVS

LIB. IX. CAPITE XXXVI.

PVRPVRÆ florem illum, tingendis expetitum vestibus, in mediis habent faucibus. Liquoris hîc minimi est candida vena, unde pretiosus ille bibitur nigricantis rosæ color sublucens. Reliquum corpus sterile. Vivas capere contendunt, quia cum vitâ succum evomunt.

Purpuræ fasces securesque Romanæ viam faciunt: idemque pro majestate pueritiæ est: distinguit ab equite Curiam: Diis advocatur placandis, omnemque vestem illuminat: in Triumphali miscetur auro. Quapropter & excusata Purpuræ sit insania.

Lingua Purpuræ longitudine digitali, quâ pascitur perforando reliqua conchilia: tanta duritia aculeo est.

Purpura clavata est ad turbinem usque, aculeis in orbem septenis ferè, qui non sunt buccino: sed utrisque orbes totidem, quot habeant annos.

CAPITE XXXVIII.

Laus ei summa, color sanguinis concreti, nigricans

nigricans aſpectu, idemque ſuſpectu reful-gens. Vnde Homero purpureus dicitur ſanguis.

CAPITE XXXIX.

PVRPVRÆ uſum Romæ ſemper fuiſſe video, ſed Romulo in trabeâ. Nam togâ Prætextâ, & latiore clavo Tullum Hoſtilium è Regibus primùm uſum, Hetruſcis devictis, ſatis conſtat.

Dibapha tunc dicebatur, quæ bis tincta eſſet, veluti magnifico impendio, qualiter nunc omnes pænè commodiores Purpuræ tinguntur.

ISIDORVS.

LITTERARVM uſum primi Phœnices repepererunt. Hinc eſt, quòd Phœnicio colore librorum capita deſcribuntur; quia ab ipſis litteræ initium habuerunt.

VITRVVIVS.

LIB. VII. CAP. XIII.

INCIPIAM nunc de Oſtro dicere, quod & cariſsimam, & excellentiſsimam habet aſpectûs ſuavitatem. Id autem excipitur ex conchy-

conchylio marino, è quo Purpura inficitur, cujus non minores ſunt, quàm cæterarum naturæ rerum conſiderantibus admirationes; quòd habet non in omnibus locis, quibus naſcitur, unius generis colorem, ſed Solis curſu naturaliter temperatur. Itaque quod legitur Ponto & Galliâ, quòd hæ regiones ſunt proximæ ad Septentrionem, eſt atrum; progredientibus inter Septentrionem & Occidentem, invenitur lividum. Quod autem legitur ad æquinoctialem Orientem & Occidentem, invenitur violaceo colore. Quod verò meridianis regionibus excipitur, rubrâ procreatur poteſtate, & ideo hoc rubrum Rhodo etiam inſulâ creatur, cæteriſque ejuſmodi regionibus, quæ proximæ ſunt Solis curſui. Ea conchylia cùm ſunt lecta, ferramentis circaſcinduntur, è quibus plagis Purpurea ſanies uti lacryma profluens, excuſſa in mortariis terendo comparatur, & quod ex concharum marinarum teſtis eximitur, ideo oſtrum eſt vocitatum. Id autem propter ſalſuginem citò fit ſiticuloſum, niſi mel habeat circumfuſum.

CAP. XIV.

FIVNT etiam Purpurei colores infectâ eretâ rubiæ radice, & hyſgino: non minùs

&

& ex floribus alii colores. Itaque tinctores, cùm volunt sil Atticum imitari, violam aridam conjicientes in vas, cum aquâ confervescere faciunt ad ignem: deinde cùm est temperatum, conjiciunt in linteum, & inde manibus exprimentes, recipiunt in mortarium aquam ex violis coloratam, & ex eâ Eretriam infundentes, & eam terentes, efficiunt silis Attici colorem. Eâdem ratione vaccinium temperantes, & lac miscentes, Purpuram faciunt elegantem. Item qui non possunt chrysocollâ propter caritatem uti, herbâ, quæ luteum appellatur, cæruleum inficiunt, & utuntur viridissimo colore. Hæc autem infectiva appellantur. Item propter inopiam coloris Indici, cretam selinusiam, aut annulariam, vitrumque, quod Græci ὕαλον appellant, inficientes, imitationem faciunt Indici coloris.

IVLIVS POLLVX, LIB. I. ONOMASTICI, CAP. IV.

PHOENICES Purpuram hoc modo capiunt, lanamque tinctam, quodam quasi flore micantem exhibent. Funem longum validumque complicant, qui per mare transeat.

Ex hoc deinde vaſa quędam, è ſcirpo funibuſ-que contexta, certo quodam ordine ac intervallo, tintinnabulorum inſtar, ſuſpendunt; quorum ingreſſus quidem ſit patulus, regreſſus verò prorsùs impeditus, & obſtructus. Ea eſcis impleta Piſcatores inter ſaxoſa loca demittunt, funem à ſilice, ut capta animalia ſuſtineat, ſuſpendentes. Dato capturæ noctis, & nonnunquam diei ſpatio, vaſa, conchis impleta, ſubtrahunt: teſtas contundunt, & carnem ad tingendum liquefacientes, ſordibus cunctis aquâ elutis, in cortinâ excoquunt. Cæterùm ſanguis hic conceptis ignis viribus fervet, floretque; & alius quidem colorem flammeum, alius fumoſum, alius alium trahit, ac repræſentat. Cùm autem remiſeris, omnia hæc ſanguini commixta, ad tincturam eandem faciunt. Inprimis verò Sole Purpura gaudet. Ætherei enim ignis radio perfuſa, auguſtior ſplendidiorque redditur.

GVIDO PANCIROLVS,

Qui unus inter novos Purpuram antiquam breviſſimè explicat.

LIB. I. RERVM MEMORABILIVM.

EARVM rerum, quæ hodie non reperiuntur, imprimis notatu digna eſt PVRPVRA, primum inter colores locum obtinens, & quaſi Rex eorum exiſtens. Eâ ipsâ olim Regum, Magiſtratuum & Senatorum veſtes tingebantur. Originem igitur hujus expoſituri, dicimus Purpuram fuiſſe ex conchyliorum genere, quod intrinſecus animatam continebat carnem, & in mediis faucibus candidiſsimam habebat venam: quâ exſectâ, pretioſus ille promanabat cruor, quo lanæ & Purpurea ſerica ad veſtes inde contexendas tingebantur. Crediderim, conchylium iſtud etiamnum hodie inveniri quidem, quandoquidem ſpecies planè non intereunt; nullum tamen ipſius uſum futurum: cùm nemo ſit, qui venæ illius eximendæ modum ſciat. Coquebatur ſanguis iſte unà cum venâ priùs apertâ, in vaſis plumbeis, adjectâ tamen aquâ modico vapore, & longinquæ fornacis cuniculo.

Inde ſplendidus ille, & quaſi intermedius inter rubrum & nigrum eliciebatur color, qui gariophylli eſt: nec enim ullum alium ſimiliorem huic puto. Erat & alia coloris ſpecies, quem puniceum ſive hyacynthium dicebant. Amiſſæ autem Purpuræ cauſſam hanc eſſe opinor, quòd Syria, & alia quoque loca, in quibus illa deprehendebatur, in Turcarum, Barbarorum, & incultorum hominum manus devenêre.

COROLLARIVM

M. VAL. MARTIALIS CONSTITVAT, MVSAS INTERPELLANS;

LIB. V. EPIGRAMMATE VI.

Vt earum rogatu Parthenius, Cubicu-lariorum Præfectus, facilem libro Purpureo, qui Domitiano offerendus erat, aditum aperiat.

BONVM FACTVM.

QVIA & mihi Parthenium, id est, Musarum delicium, apud Optimum, Clementissimum, & Domitiano dissimillimum Principem FERDINANDVM habere contigit; faciam, quod Martialis fecit; & Phaleucis, quos fecit. Librum, inquam,

 Purpurâ

Purpurâ ornatum, ipſamque adeò, rogantibus Muſis, favente Parthenio, Purpuram, Principi Purpureo, AVSTRIACAM AVSTRIACO, per mollia fandi tempora, offeram: tantò liberiùs, quantò ſub ipſâ Purpurâ verecundiæ rubor faciliùs abſcondetur. Si reprehenſione tamen dignus videor, exemplo, olim laudabili, peccavi.

Si non eſt grave, nec nimis moleſtum,
Muſæ, * Parthenium rogate veſtrum:
Sic te ſerior, & beata quondam
Salvo Principe finiat ſenectus,
Et ſis invidiâ favente felix,
Sic * Burrus citò ſentiat parentem:
ADMITTAS timidam, brevemque chartam
Intra limina ſanctioris aulæ.
Noſti tempora tu * Iovis sereni,
Cùm fulget placidus, ſuoque vultu,
Quo nil ſupplicibus ſolet negare.
Non eſt, quòd metuas preces iniquas:
Nunquam grandia, nec moleſta poſcit,
Quæ

* Suetonius Cubiculo Præpoſitum appellat.

* Filius Parthenii: de quo lib. IV. epigr. XLIV.

* Domitiani.

Quæ cedro decorata, PVRPVRAQVE,
* RVBRIS pagina crevit umbilicis.
Nec porrexeris iſta, ſed teneto,
Sic, tanquàm nihil offeras, agaſque.
Si novi Dominum novem Sororum,
Vltro PVRPVREVM petet LIBELLVM.

* Pro Nigris.

FINIS.

AD LECTOREM.

Maculam in Purpurâ quis ferat? *Pag.*27. *lin.* 1. *lege* , *Purpureâ.* *Pag.*46.*lin.*5.*diſtingue* , quæ Regia eſt, Sacra docet. *Pag.*76.*lin.*5. *lege*, quâdam. *Pag.*96.*lin.*11.*Illius.* *Pag.*141.*lin.*1.belli diſcrimina. *Siquid præterea, Lector, occurret, humanitati tuæ committimus.*

CENSVRA.

HÆC *Purpura Auſtriaca nihil habet, aut à fide, aut à moribus alienum; digna verò eſt, ut prælo ſubjiciatur, & lucem aſpiciat. Datum Lovanii* 18. *Decemb.* 1634.

ANTONIVS LOVERIVS S. T. L.
Apoſtolicus & Regius Librorum
Cenſor.

SVM-

SVMMA PRIVILEGII
REGIS CATHOLICI.

PHILIPPVS Dei gratiâ Hiſpaniarum, &c. Rex Catholicus, Diplomate ſuo ſanxit, Nequis ERYCI PVTEANI, Conſiliarii, & Hiſtoriographi, nec non Profeſſoris ſui in Academiâ Lovanienſi, PVRPVRAM hanc AVSTRIACAM, præter ipſius voluntatem, vel typis ſuis excudat, vel alibi excuſam, in has Germaniæ Inferioris ditiones venalem inferat. Qui ſecus faxit, præter exemplarium confiſcationem, aliâ gravi pœnâ mulctabitur: uti latiùs patet in litteris, datis Bruxellæ, 23. Decemb. M.DC.XXXIV.

Signat

I. A. COOLS.

C A V T I O
AB AVCTORE TYPOGRAPHO FACTA.

V*TOR Privilegio, quod à Catholico mihi Rege nuper conceſſum eſt, & poteſtatem tibi,* IOANNES CNOBBARE, *bonâ fide facio,* PVRPVRAM *hanc* AVSTRIACAM *typis tuis excudendi ac divulgandi. In me, in te, in Regem utrumque peccabit, ſiquis alius editionem molietur, aut exemplaria inferet.*

ERYCIVS PVTEANVS,

BAMELRODIVS.

30.

